ELEMENTA IVRISPRVDENTIÆ DEFINITIONIBVS,

Regulis, & Sententiis selectioribus *Iuris Civilis illustrata.*

Quibus accessit

DESCRIPTIO IVRIS & IVDICII TEMPORALIS

Secundum Consuetudines *Feudales & Normannicas.*

Nec non

DESCRIPTIO IVRIS & IVDICII ECCLESIASTICI

SECVNDVM CANONES & Constitutiones Anglicanas.

Autore R.Z. P.R. *Oxonia.*

OXONIÆ

Excudebat LEONARDUS LICHFIELD,
M. DC. XXXVI.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI GVLIELMO

PROVIDENTIA DIVINA ARCHIEPISCOPO CANTVARIENSI, METROPOLITANO ET TOTIVS *ANGLIÆ* PRIMATI, *ACADEMIÆ OXONIENSIS*

CANCELLARIO HONORATISSIMO.

Clementißime Domine.

PRo ratione muneris quod aliquandiu in Academia ſuſtinui in gratiam eorum qui Iuriſprudentię operam impendunt hæc opuſcula prout potui molitus ſum. Et ſi temerè & inconſultè fecerim quod rei tam tenu-

is Editioni Nomen veſtrum præfigere non ſim veritus, ſi tamen pro beneficiis quæ cum Literati omnes, tum præcipuè Iuris ſtudioſi veſtro favore indies conſequimur (quod voti ſummum eſt) in obſervantiæ & grati affectus argumentum cedere videatur, Temeritatis conſcientiam non ſine aliquo ſolatio feram, nec veniam erroris (quam humillimè rogo) abſque ſpe aliquâ, impetrare metuam. Deus Optimus Maximus Eccleſiæ & Reipub: Clementiam veſtram quam diutiſsimè incolumem ſervet.

Veſtræ Clementiæ ſummo animi affectu devotiſsimus

RIC. ZOUCHÆUS.

IVVENTVTI IVRISPRVdentiæ ſtudioſæ.

CVm à Iuris Civilis ſtudio Noſtrates abſtinere mihi viderentur quòd ejus cognitio pro multitudine librorum & modo ſcribendi invſitato admodum difficilis, & quaſi ab hujus Regni inſtitutis aliena, parum utilis haberetur; operæ pretium viſum eſt Elementa Iuris-prudentiæ quæ ejus ordinem & Ambitum continerent, oratione brevi & facili tradere: Et ex contextu Iuris Civilis aliqua addere, quæ rationi adeo ſunt conſentanea ut ubivis gentium pro Iure habenda meri-

is Editioni Nomen vestrum præfigere non sim veritus, si tamen pro beneficiis quæ cum Literati omnes, tum præcipuè Iuris studiosi vestro favore indies consequimur (quod voti summum est) in observantiæ & grati affectus argumentum cedere videatur, Temeritatis conscientiam non sine aliquo solatio feram, nec veniam erroris (quam humillimè rogo) absque spe aliquâ, impetrare metuam. Deus Optimus Maximus Ecclesiæ & Reipub: Clementiam vestram quam diutissimè incolumem servet.

Vestræ Clementiæ summo animi affectu devotissimus

RIC. ZOUCHÆUS.

IVVENTVTI IVRISPRVdentiæ ſtudioſæ.

CVm à Iuris Civilis ſtudio Noſtrates abſtinere mihi viderentur quòd ejus cognitio pro multitudine librorum & modo ſcribendi invſitato admodum difficilis, & quaſi ab hujus Regni inſtitutis aliena, parum utilis haberetur; operæ pretium viſum eſt Elementa Iuris-prudentiæ quæ ejus ordinem & Ambitum continerent, oratione brevi & facili tradere. Et ex contextu Iuris Civilis aliqua addere, quæ rationi adeo ſunt conſentanea ut ubivis gentium pro Iure habenda meri-

tò videantur. Deinde cum diù compertum sit eos qui Iuri civili apud nos studeant Iuris Patrij cognitionem parùm aggredi, quòd Consuetudines quæ sunt hujus juris Fundamenta (prout apud alias gentes) scriptæ non sint, pro Introductione ad studium Iurisprudentiæ Anglicanæ Iuris temporalis descriptionem conati sumus contexere, eandemque illustrare primò à Consuetudinibus Mediolanensium feudalibus quæ adeo ad cognitionem Iuris Anglicani conducunt, ut [a] vir in ejus origine investigandâ sagacissimus nostratibus pro defectu imputet, quod in eas inquirere negligentiùs prætermittant. Deinde à Consuetudinibus Normannicis quæ cum nostris ita conveniunt ut in dubium vocetur utrum Normanni ab Anglis, an Angli à Normannis Consuetudines mutuati sint. Denique ut appareat quam gemellæ sint Ecclesiastica disciplina & Politia Regni, studuimus ad instar Iuris & Iudicii temporalis, Iuris etiam & Iudicii Ecclesiastici specimen edere, & quæ pro compendioså descriptione sufficerent cum ex Iure Canonico, tum ex Constitutionibus & statutis Regni annotare. De quibus etiam monendum ducimus, quod cum

[a] D. H. Spelman. in glossar. diatrib. de feudis. p. 256.

in

in locis nonnullis quasi ad confirmandum contextum plura in Margine congeruntur, recentiora & nostra præcipuè intenduntur, alia, ad ostendendum ubi in Iure Canonico, *aut alibi de eadem materia tractatur, adhibentur. Atque hæc pro fundamentis* Iurisprudentiæ *hucusq; disposuimus, ad superstruendum, materiam, infiniti penè qui occurrunt libri* Iuridici, *sedulis & discretis* Iuris Studiosis *abundè suppeditabunt.*

Dat. ex Aulâ Alban. Pridie Calend. Aug. 1636.

SECT. PARS 1ª.

1 *De Iurisprudentia.*
2 *De Iustitia.*
3 *De Iure naturali.*
4 *De Iure gentium.*
5 *De Iure Civili.*
6 *De Communione humana.*
7 *De Personis.*
8 *De Rebus.*
9 *De Actibus humanis.*
10 *De Observatione juris & Iudicii.*

SECT. PARS 2ª.

1 *De Iure in genere.*
2 *De Iusta Personarum potestate & de vita hominis.*
3 *De ætate hominis.*
4 *De valetudine hominis.*
5 *De justa Rerum Conditione & de Rei essentia.*
6 *De Rei Certitudine.*
7 *De Rei valore.*

8 De *Iusto Actuum humanorum Modo, & de Actus intentione.*
9 De *Actus executione.*
10 De *Actus Probitate.*

SECT. PARS 3ª.

1 De *Iure privato.*
2 De *Iure ſtatus & de jure hominũ liberi.*
3 De *Iure Civis.*
4 De *Iure Patris-familias.*
5 De *Iure Poſſeſſionis & de jure Dominii.*
6 De *jure uſus ſive ſervitutis.*
7 De *jure Patrimonii.*
8 De *jure Obligationis, & de jure Contractus.*
9 De *jure delicti.*
10 De *jure Officii.*

SECT. PARS 4ª.

1 De *jure publico.*
2 De *jure ſtatus publici, & de jure ſubditi.*
3 De *jure Magiſtratus.*
4 De *jure Principis.* 5

5 De jure Possessionis pub. & de jure Rei publicæ.
6 De jure loci publici.
7 De jure fisci sive Patrimonii pub.
8 De jure Obligationis pub. & de jure Conventionis pub.
9 De jure Criminis sive delicti pub.
10 De jure Offici pub.

SECT. PARS 5a.

1 De judicio in genere. (bus.
2 De Personis judicialibus & de Parti-
3 De assistentibus.
4 De judicibus. (causæ.
5 De Rebus judicialibus & de duratione
6 De evidentia Causæ.
7 De merito Causæ.
8 De Actibus judicialibus & de Conventione partium.
9 De disceptatione causæ.
10 De decisione Litis.

SECT. PARS 6a.

1 De Iudicio privato. (tatis.
2 De Iudicio Status & de Iudicio Liber-

3 *De Iudicio Civitatis.*
4 *De Iudicio Familiæ.*
5 De *Iudicio Possessionis, & de Iudicio dominii.*
6 De *Iudicio usus sive servitutis.*
7 *De Iudicio Patrimonii.*
8 *De Iudicio Obligationis, & de Iudicio Contractus.*
9 De *Iudicio delicti.*
10 De *Iudicio Officii.*

SECT. PARS 7a.

1 *De Iudicio publico.*
2 De *Iudicio status pub. & de Iudicio subjectionis.* (*onis.*
3 De *Iudicio Magistratus sive Iurisdicti-*
4 *De Iudicio principatus sive Majestatis.*
5 De *Iudicio possessionis publicæ, & de Iudicio Rei pub.*
6 De *Iudicio Loci pub.*
7 De *Iudicio fisci sive patrimonii pub.*
8 De *Iudicio Obligationis pub. & de Iudicio Coventionis pub.*
9 *De Iudicio Criminis sive delicti pub.*
10 De *Iudicio Officii publici.*

ELE-

ELEMENTA
Iurisprudentiæ.

PARS PRIMA.
SECT. I.
De Iurisprudentiâ.

IVrisprudentia est disciplina rectè agendi in communione humanâ: cujus Finis, Subjectum, & Media sunt perpendenda. Iurisprudentiæ Finis est id ad quod dirigit, scilicet Iustitia. Iurisprudentiæ Subjectum id est in quo versatur, scilicet Communio humana. Iurisprudentiæ Media, sunt per quæ ad Finem suum perducit, nimirum, Iuris & Iudicii observatio.

IVrisprudentia, quæ & [a] Civilis Sapientia, & [b] Ars æqui & boni dicitur, [c] Rerum divinarum atq; humanarum notitia, justi atq; injusti scientia definitur. [d] Ejus scientiam Plurimi & maximi viri professi sunt. Et [e] Quintus Mutius Servio Sulpitio cum de jure respondentem parùm intellexisset, Turpe est, inquit, Patritio, & Nobili, & causas oranti, jus in quo versatur ignorare. De ejus Professoribus ita Imperator Fredericus; [f] Dignum, inquit, existimamus, ut cùm omnes bona facientes nostram Laudem & protectionem mereantur, tum sacrarum legum pro-

a D. 50. 13. 1. 5.
b D. 1. 1. 1.
c I. 1. 1.
d D. 1. 2. 2. 35.
e D. 1. 2. 2. 43.
f C. 4. 13. *Auth. Habita.*

 fessores

teſſores, quorum ſcientiâ totus illuminatur mundus, & ad obedientiam Deo & nobis ejus miniſtris vita ſubditorum informatur, quâdam ſpeciali dilectione ab omni injuriâ defendamus.

SECT. 2.

De Iuſtitia.

Iuſtitia eſt virtus rectè agendi cum aliis, eſtq; vel Commutativa, vel Diſtributiva. Iuſtitia Commutativa eſt quæ in paria paribus, in Commercio, referendo conſiſtit. Iuſtitia diſtributiva eſt, quæ in Regimine, in æqualia æqualibus diſtribuendo exercetur. Vtriuſq; Iuſtitiæ Normæ ſive Regulæ ſunt Jus naturale, Ius Gentium, & Ius Civile.

CVm Iuriſprudentia ſit diſciplina practica, ejus Finis primùm ratio habenda eſt. Finis verò Iuriſprudentiæ eſt [a] Iuſtitia, quæ eſt conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuiq; tribuendi. Et quatenus in Commercio verſatur Commutativa dicitur, & abſq; reſpectu perſonarum ad proportionem Arithmeticam dirigitur: quatenus in Regimine adhibetur Diſtributiva appellatur, & pro differentiis hominum præmia, & pœnas ſecundùm proportionem Geometricam conſtituit. Vtraq; à Iureconſulto in Iuriſprudentiæ ſtudio & officio continetur; ubi, [b] Iuſtitiam, inquit, colimus, & boni & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo ſeparantes, licitum ab illicito diſcernentes, bonos, non ſolùm metu pœnarum, verùm etiam præmiorum quóque exhortatione, effigere cupientes.

a D. 1. 1. 1.

b D. 1. 1. 1.

SECT.

SECT. 3.

De Iure Naturali.

Jus Naturale est Norma rectè agendi quam Natura tradit, & à naturali Affectione, & Ratione profluit. Naturalis Affectio est quæ suggerit quid vnumquodq; expetit; Naturalis Ratio est quæ ostendit quid cuiq; conveniat.

PRima rectè agendi regula est Ius Naturæ. A Naturâ autem sunt, cùm σπέρματα φυσικὰ, id est Naturales affectus, tùm, κοιναὶ ἔννοιαι, id est, Communes notitiæ quæ omnibus à naturâ sunt inditæ. Ius quod prioris generis est, etiam in brutis reperitur; unde definitur [a] Ius Naturale quod natura omnia animalia docuit. A quo profluit, vitæ suæ defensio, maris & fœminæ conjunctio, liberorum procreatio, & similia. Ius posterioris generis, omnium hominum est commune, [b] quod naturalis ratio inter omnes homines constituit; cujusmodi est, erga Deum religio; ut Patriæ & Parentibus pareamus; nemini injuriam facere. Et hoc Ius, primùm perfectum est; nam [c] quod semper bonum est & æquum, id est Ius naturæ. Deinde, est immutabile; quod [d] naturalia Iura quæ apud omnes gentes peræquè observantur divinâ quâdam providentiâ semper firma atq; immutabilia permanent.

[a] D. 1. 1. 1. 3.

[b] I. 1. 2. 1.

[c] D. 1. 1. 11.

[d] I. 1. 2. 11.

SECT. 4.

De Iure Gentium.

Ius Gentium est rectè agendi Norma, quæ Gentium, vel Hominum plerorumq; judicio comprobatur: Eaq; vel Ratiocinatione, vel moribus introducta est. Ratiocinatio est quæ per discursum rationis quid sit utile humano ge-

neri excogitavit. Mores Gentium sunt qui quid conveniens sit humano generi Experientiâ communi comprobârunt.

SEcunda Iustitiæ Regula est Ius Gentium. Nam ultra ea quæ Natura præcipit, discursus & experientia communis multa, quæ ad benè vivendum conducunt, adinvenerunt. De hoc Iure Vlpianus: [a] Ius gentium, inquit, est quo gentes humanæ utuntur, quod propter utilitatem, & necessitatem introductum fuit. Nam, [b] usu exigente, & humanis necessitatibus, gentes humanæ jura quædam sibi constituerunt. Ita, ex hoc jure, Dominia sunt distincta, Commercia & obligationes institutæ.

a D.1.1.1.4.

b I. 1.2.2.

SECT. 5.

De Iure Civili.

Ius Civile est recte agendi norma, quam civilis authoritas constituit: & cùm Lege, tùm Consuetudine continetur. Lex est Ius civile quod scriptis promulgatur. Consuetudo est Ius civile quod diuturno usu invaluit.

TErtia Iustitiæ Regula est Ius civile; de quo Gaius: [a] quod quisq; populus ipse sibi jus constituit, id ipsius proprium Civitatis est, vocaturq; Ius Civile. Et [b] Ius Civile neq; in totum à naturali vel Gentium jure recedit; nec per omnia ei servit. Ejus ratio aliquando non apparet: quippe, [c] Non omnium quæ à majoribus constituta sunt ratio reddi potest. Aliquando valet etiam cùm causa deficit quâ introductum fuit. Vnde, [d] Non est novum ut quæ semel utilitèr constituta sunt, durent, licet ille casus extiterit à quo incipere non potuerunt. Generale verò est Ius Civile, & ad ea quæ communitèr contingunt ordinatum: [e] Iura generalitèr non in singulas personas constituuntur; Et [f] Iura constitui oportet in his, quæ ut plurimum

a D.1.1.9.
b D.1.1.6.
c D.1.3.20.
d D.50. 17. 85.
e D.1.3.8.
f D.1.3.3.

plurimum non ex inopinato accidunt: Nam [g] Quod semel aut bis existit prætereunt Legislatores. Deniq; Ius Civile est mutabile; cum [h] Ea Iura quæ quæq; Civitas ipsa sibi constituit sæpè mutari solent, vel tacito consensu populi, vel posteà lege latâ. Nec tamen temerè mutare oportet; sed [i] In rebus novis constituendis evidens utilitas esse debet, ut ab eo jure recedatur, quod diu æquum visum est.

Ius Civile aut Lex est, aut consuetudo. [k] Lex est commune præceptum, virorum prudentum consultum, delictorum quæ sponte vel ignorantiâ contrahuntur coercitio, communis Reip. sponsio. Vel, [l] Lex est cui omnes obtemperare convenit, & ad cujus præscriptum omnes qui in Reip. sunt vitam instituere debent. [m] Legis virtus est, imperare, vetare, permittere, punire. Sed [n] Leges futuris dant formam negociis, non ad facta præterita revocantur; Consuetudo Ius est quod [o] usus approbavit. Nam diuturni mores consensu utentium approbati Legem imitantur. Et tum præcipuè valet cùm lex deficit. Nam [p] De quibus causis scriptis legibus non utimur, id custodiri oportet quod consuetudine introductum est. Consuetudinis verò initium debet esse rationabile. Quippe [q] Quod non ratione introductum est, sed errore primùm, deinde consuetudine obtentum est, in aliis similibus non obtinet. Deinde consuetudo debet esse antiqua: Scilicet, [r] Diuturna consuetudo pro jure & lege in his quæ non ex scripto descendunt observari solet. Deniq; firmissima est consuetudo quæ in Iudicio obtinuit. Vnde [s] cùm de consuetudine consulere quis videtur, primùm explorandum est, an in contradictorio judicio aliquando firmata sit. Nec solùm pro lege est consuetudo, sed & interpretatur legem; [t] Optima legum interpres est consuetudo: immo & legem abrogare solet; ita, [u] Receptum est ut leges non solum suffragio Legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur.

Hæc de fine Iurisprudentiæ, Iustitiâ scilicet ejúsq; Regulis, Iure naturali, Gentium, & Civili.

[g] D.1.3.6.
[h] I.1.2.11.
[i] D.1.4.2.
[k] D.1.3.1.
[l] D.1.3.2.
[m] D. 1.3.7.
[n] C.1.14.7.
[o] I.1.2.9.
[p] D.1.3.32.
[q] D.1.3.39.
[r] D.1.3.33.
[s] D.1.3.34.
[t] D.1.3.37.
[u] D.1.3.32.

SECT. 6.

De communione humanâ.

Communio humana est plurium personarum inter se de Rebus ad ipsas pertinentibus negotiatio. Eaq; vel Generalis: qualis est quæ privatis hominibus cum privatis, & quæ subditis cum Principe vel Repub. intercedit. Vel specialis: qualis est communio in certo aliquo Ordine, vel societate, & diversorum Principum vel Rerumpub. inter se. Quælibet verò communio constat Personis, Rebus, & Actibus humanis.

POst Iurisprudentiæ Finem, Subjectum in quo versatur est considerandum. Illud autem est communio humana universa, quæ virtute Iurisprudentiæ sustinetur, quod primùm cernitur in Communione privatâ quæ circa res, & negotia singulorum inter privatos, sive ejusdem Principis subditos occurrit. Deinde, in Communione publicâ, quæ circa res & munera publica inter subditos & Principes suos existit. Tum, in communione speciali, quæ est inter eos qui jure aliquo speciali utuntur, utpote municipali, sacro, militari, aut nautico. Et deniq; in communione generali, quæ inter diversos Principes & Respublicas per Legationes, Fœdera, & Bella exercetur. In qualibet vero communione concurrunt, personæ, res, & actus humani: unde, [a] Omne Ius vel ad Personas, vel ad Res, vel ad Actiones pertinet.

a D. 1. 5. 1.

SECT. 7.

De Personis.

Personæ sunt Homines, scilicet viri & mulieres, cùm Singuli, tum in Corpus aliquod collecti. Personæ singulæ sunt

sunt viri & mulieres prout seorsim subsistunt. Personæ in Corpus aliquod collectæ sunt homines plures qui quasi in unum convenerunt, utpote in Collegium vel Vniversitatem congregati.

IN communione primò occurrunt personæ, quæ agunt inter se, id est viri & mulieres, qui hominis appellatione continentur. Nam [a] Hominis appellatione tam fœminam quam masculum contineri non dubitatur. [b] Hermaphroditus verò ejus sexûs est æstimandus qui in eo prævalet. Atq; hujusmodi sunt personæ naturales. Sed & Personæ civiles sive Corpora Politica sunt Collegia, Vniversitates, & similia. De quibus Iureconsultis [c] Collegia Romæ certa sunt. Et [d] Neratius Priscus existimat tres facere Collegium. Vlpianus verò ait Vniversitatem etiam in uno conservari. [e] In Vniversitatibus, inquit, nihil refert utrùm omnes iidem maneant, an pars maneat, vel omnes mutati sint: sed & si Vniversitas ad unum redit, Ius omnium in uno residet, & stat nomen Vniversitatis.

a D.5 16. 15.
b D.1.5.10.
c D.3.4.1.
d D.50.16. 85.
e D.3.4.7.

SECT. 8.

De Rebus.

Res sunt quæ extra hominem existunt; cùm Corporales, id est Res ipsæ, sive Mobiles sint, ut Equus, Argentum; sive Immobiles, ut Res soli & Res solo cohærentes: tum Res Incorporales, id est rerum Emolumenta. Quarum utriusq; generis aliæ separatæ sunt, aliæ in universitate positæ. Res separatæ sunt res singulæ, & Rerum emolumenta seorsim habita. Res in universitate positæ sunt Res plures simul, aut rerum emolumenta aggregata.

SEcundò in communione humanâ Res adhibentur de quibus homines agunt, id est quæcunq; extra hominem sunt. Nomen enim rei latissime patet. [a] Rei appellatione

a D.50.16. 23.

ne & caulæ, & jura continentur. In ſpecie verò [b] Quædam res corporales ſunt, quædam incorporales. Corporales hæ ſunt quæ tangi poſſunt, veluti fundus, veſtis. Incorporales ſunt quæ tangi non poſſunt, qualia ſunt quæ in iure conſiſtunt, ut uſus, uſusfructus, & ſimilia. Et ad res aggregatas quod attinet; [c] Tria ſunt corporum genera, unum quod continetur uno ſpiritu, & græcè ἑνώματον id eſt unitum vocatur, ut tignum, lapis; alterum eſt quod ex contingentibus, hoc eſt, pluribus inter ſe cohærentibus conſtat, quod συνημμένον, id eſt connexum vocatur, ut ædificium, navis: tertium quod ex diſtantibus conſtat; Corpora plura ſcilicet uni nomini ſubiecta (quæ Græcè διὰ σῶμα) veluti Grex, armentum. Ita etiam [d] Bonorum appellatio univerſitatem & non ſingulas res demonſtrat. Et [e] in Bonis noſtris computantur non ſolum quæ dominii noſtri ſunt, ſed & ſi quid eſt in Actionibus.

b D.1.8.1.
c D.41.3.30.
d D.50.16.208.
e D.50.16.49.

SECT. 9.

De Actibus humanis.

Actus humani ſunt quæ ab hominibus aguntur vel fiunt: Verba ſcilicet quæ ore vel ſcriptis proferuntur, & Facta quæ quolibet alio geſtu corporis explicantur. Cujuſmodi etiam actus, vel proprii ſunt, vel communes. Proprii ſunt, qui ſingulos Homines authores habent. Communes qui à pluribus in unum collectis expediuntur.

TErtiò in communione humanâ veniunt Actus qui à perſonis circa res aguntur, vel fiunt; ut verba ſcilicet, & facta. Nam [a] Conſtat actum generale verbum eſſe, ſive verbis, ſive re quid agatur. E quibus verba ſunt cogitationum indicia, unde intentioni convenire debent: [b] Nemo enim exiſtimandus eſt dixiſſe quod non mente agitaverit, & etſi prior & potior eſt mens dicentis quam vox [c] nemo tamen ſine voce dixiſſe exiſtimabitur. Aliquando

a D.50.16.19.
b D.33.10.7.2.
c D.33.10.7.3.

quando verò signa verborum vim habent. Nam [d] Indubitabile signum nihil pene à nomine differt: cum [e] Nomina significandorum hominum gratiâ reperta sint, qui si alio quolibet modo intelligantur nihil interest. Cum verò de verborum sensu dubitatur, ad communem usum est recurrendum; quod, [f] Non ex opinionibus singulorum, sed ex communi usu nomina exaudiri debent. Et [g] Mores civitatis, & usus, rerum appellationes mutant.

[d] D.28.5.9.8.
[e] I.2.20.29.
[f] D.33.10.7.
[g] D.33.10.7.

Facta (prout verbis opponuntur) omnes alios actus complectuntur. [h] Quippe, verbum facere, omnem omnino faciendi causam complectitur, dandi, solvendi, numerandi. Et quandoq; facere videtur, qui omittit. Ita [i] Facere oportere hanc significationem habet, ut abstineat quis ab eo quod contra conventionem fieret, & curaret ne fieret. Quandoq; etiam quod non fit pro facto habetur. [k] In omnibus, scilicet, causis pro facto accipitur id, in quo per alium fit quo minus fiat. Sed & qui facit per alium facere videtur per se; cum [l] nostra facta sint quibus autoritatem nostram impertimur. Sed & factum quandoq; ei imputatur qui consilium vel opem adhibet. [m] Consilium verò dare videtur, qui persuadet, & impellit, & consilio instruit. Opem fert, qui consilium atq; adiutorium præbet.

[h] D.50.16.218.
[i] D.50.16.198.
[k] D.50.17.39.
[l] C.1.17.1.
[m] D 47.2.50.

Actus communis censetur quod fit à pluribus: ita [n] Refertur ad universos, quod publicè fit per maiorem partem. Et [o] Quod maior pars curiæ effecit, pro eo habetur ac si omnes egerint. Maior autem pars est cum duæ partes trium intersunt. [p] Cum duæ partes ordinis in urbe sunt, totius curiæ instar exhibent. Et [q] Ordo non aliter habetur quam duabus partibus adhibitis. Sed & communitas vices omnium uni delegare potest. Quod [r] Parvi refert utrùm ipse ordo elegerit, an is cui ordo negotium dedit.

[n] D.50.17.161.
[o] D.50.1.19.
[p] C.10.31.45.
[q] D.5.9.3.
[r] D.3.4.6.

Atq; hæc de Subiecto Iurisprudentiæ, scilicet Communione humanâ; quæ personis, rebus, & actibus humanis constat.

SECT. 10.

De observatione Iuris, & Iudicii.

Iuris & Iudicii observatio est eorum quæ ad justitiam conducunt Disquisitio, & Applicatio, nimirum, Observatio Iuris est, eius quod iustum est in personis, rebus, & actibus humanis, contemplatio, quâ homines ad rectè agendum volentes diriguntur. Iudicii observatio est eius quod iustum est in Personis, Rebus, & Actibus humanis Executio, per quam etiam inviti ad rectè agendum compelluntur. Utraq; cùm Ius, tùm Iudicium, primùm in Genere, deindè prout in Species diffunduntur, sunt considerandæ.

IVrisprudentiæ Fine, & subjecto perspectis; ad ejus Media, quibus finis in Subjectum inducitur, est deveniendum. Hæc autem sunt Iuris & Iudicii observatio. Nam, cùm Iustitia quâ in rebus humanis æqualitas conservatur, Iurisprudentiæ Finis constitutus sit, medium quo id obtineri potest, inquit [a] Wessenbecius, est, Ius nosse, & quid quâq; in re justum, injustum, æquale, inæquale sit, ratione & studio exquirere: Idemq; exquisitum atq; cognitum scientèr reddere, & in usum fori publicum educere, ac omnibus rerum humanarum actionibus, cùm publicis, tùm privatis, rectè atq; æquabiliter accommodare.

[a] Ad D. 1. 1. n. 2.

Hucusq; de Iurisprudentiæ Fine, Subjecto, & Mediis, in genere.

PARS

PARS SECVNDA.

SECT. 1.

De Iure in Genere.

IVs est Potentia alicuius Boni Iustitiæ regulis consentanea. Quod observandum ut Acquiritur, & Retinetur; Item, ut Alienatur, & Amittitur. Ius Acquiritur, cùm quis illud quod anteà non habuit habere incipit. Ius retinetur, cùm quis id quod habuit habere pergit. Ius Alienatur, quod in alium transfertur. Ius Amittitur, cùm quid eius cuius fuit esse desinit. Atq; ad hæc facit Iusta Personarum Potestas, Rerum Conditio, & iustus Actuum humanorum Modus.

IVS est Iustitiæ regula: Sed & Ius etiam dicitur Rectum, vel quod huic Regulæ est conforme. Cujus aliquis gradus est quod fit licitum, id est, Iure expressè permissum, vel saltèm non prohibitum. Ita enim [a] Licitum intelligitur, non solum si leges permittant, sed si leges non prohibeant. Vlterior gradus est, quod sit honestum, id est, quod à jure comprobetur. Quippe [b] Non omne quod licet honestum est. Iuris hujusmodi cùm Acquirendi & Retinendi, tum Alienandi & Amittendi ratio habenda est. Nam [c] Totum Ius consistit in acquirendo, aut in conservando, aut in minuendo. Aut enim hoc agitur, quemadmodum quid cujusq; fiat, aut quemadmodum quis rem vel Ius suum conservet, aut quemadmodum alienet vel amittat. Et primò licet unicuiq; quod

a D.4.6.28. 2.

b D.50.17. 144.

c D.1.3.41.

sibi utile sit acquirere. Quia [d] Potest unusquisq; sibi prodesse dùm alteri non nocet. Deinde licet jure suo uti, & tueri, unde [e] Non videtur dolo facere qui utitur jure suo. Et [f] Injuriam non facit qui se tueri voluit. Quia [g] Quod quisq; ob tutelam corporis sui fecit, jure fecisse existimandus est. Cum adversus periculum naturalis ratio permittit se defendere. Sed & licet iure suo cedere. Quia [i] Omnes licentiam habent his quæ pro se inducta sunt renunciare: Et in alium Transferre; quòd [k] Nihil est tam conveniens naturali æquitati quàm voluntatem Domini rem suam in alium transferentis ratam haberi. Sed [l] Nemo potest plus iuris in alium transferre quam ipse habuit. Vnde [m] qui in Ius alterius succedit, eius iure uti debet. Deniq; in genere, [n] Quibus modis acquirimus iisdem in contrarium amittimus. Nam [o] Omnia quæ iure contrahuntur contrario iure pereunt. Et [p] Nihil tam naturale est quam eo genere quidque dissolvi quo colligatum est. [q] Non videntur verò rem amittere quibus Propria nunquam fuit. [r] Nec potest videri desiisse habere qui nunquam habuit.

[d] D. 39. 3. 1. 11.
[e] D. 50. 17. 55.
[f] D. 47. 6. 3. 7.
[g] D. 1. 1. 3.
[i] C. 1. 3. 51.
[k] D. 41. 1. 9.
[l] D. 50. 17. 55.
[m] D. 50. 17. 177.
[n] D. 50. 17. 153.
[o] D. 50. 17. 100.
[p] D. 50. 17. 35.
[q] D. 50. 17. 83.
[r] D. 50. 17. 208.

SECT. 2.

De Iustâ Personarum Potestate, & de vitâ Hominis.

Iusta Personarum Potestas est ex quâ Ius aliquod ipsis competit. Qualis est, Vita, Ætas, & Valetudo. Vita est ex quâ quis inter homines existit. Quæ contingit ab Infusione Animæ, & à Partu; Infusio Animæ est cùm corpori in utero formato Anima datur. Partus est cùm Infans in lucem editur. Vita Deficit in Abortivo, & in Mortuo. Abortivus est qui ad lucem vivus non pervenit. Mortuus est qui postquàm in lucem prodiit expiravit.

Ius

IVs sivè Potentia Boni Iustitiæ Regulis consentanea, personis competit; quòd [a] Hominum causâ Ius omne constitutum sit: sed non omnibus æqualitèr. Vndè observanda est Potestas personæ ex quâ iuris alicuius capax censetur; cuius gradus sunt, Vita, Ætas, & Valetudo.

Vita est initium, & fundamentum omnis Iuris, & proindè omnibus aliis charius & antiquius. Vndè [b] Non absurdum est, animas hominum quibuscunq; rebus præferri. Et [c] Cuius famæ, eius vitæ multo magis parcendum est. Sed & [d] Ignoscitur ei qui sanguinem suum qualitèr qualitèr redemptum voluit. Vita verò habetur primum ab Infusione Animæ: ex quo nimirum infans ἐξεμβρυσμένος vel effigiatus est, à quo tempore etiam in Iure eius habetur ratio. Nam [e] qui in utero sunt, in Iure civili intelliguntur in rerum naturâ esse, cùm de eorum commodo agitur. Deindè magis apparet à Partu, cùm Infans in lucem prodit, quod ut plurimum contingit mense decimo. Sed, & [f] septimo mense nasci perfectum partum, receptum est propter autoritatem Hippocratis. Et ideo credendum est eum qui ex iustis nuptiis septimo mense natus est iustum filium esse. Et plures eodem partu edi possunt; Nam [g] Aristoteles scripsit quinque nasci posse; at certo ordine; quippe [h] natura non patitur duos infantes simul de utero matris excedere: & proindè [i] Tèr enixa videtur quæ tergeminos peperit. Deindè vita deficit in Abortivo, & in Mortuo. Abortio est cùm Infans mortuus intempestivè effertur, quod facit ut partus nullus habeatur; cùm [k] Qui mortui nascuntur neq; nati neq; procreati videntur. Mors est cùm quis è vivis excessit, quâ [l] Ius omne extinguitur quod personæ cohæret.

a D.1.5.2.

b C.1.2.21.

c D.48.5.38. 9.

d D.48.21.1.

e D.1.5.26.

f D.1.5.12.

g D.46.3.30.

h D.1.5.15.

i D.50.16. 137.

k D.50.16. 129.

l D.7.4.3.

SECT. 3.

De Ætate Hominis.

Ætas est ex quâ quis inter homines agit. Et contingit primùm ab Adolescentia, deinde à Iuventute. Adolescentia est cùm quis ad pubertatem pervenit: Nimirum cùm Mas annum decimum quartum, cùm Fœmina duodecimum complevit. Iuventus est, cum quis maior est annis viginti quinq. Ætas verò desideratur in Puero; defecit in valdè Sene. Puer est qui nondum ad Pubertatem pervenit. Valdè Senex est qui est annis septuaginta maior.

VIta Hominis cùm ad iustam Ætatem pervenit maiorem potestatem consequitur. Tunc enim non solùm existit, sed etiam agere potest: Quod quodammodò à Pubertate, omnino à Iuventute contingit. Et de Pubertate
a C.5.60.12. statutum est, quòd, [a] quemadmodum Fœminæ post duodecem annos impletos pubescere iudicantur, ita & Mares post excessum quatuordecem annorum puberes existimentur. Cuius ætatis qui sunt, etiam Minores dicuntur, &
b D.4.4.1. potestatem agendi sed minùs plenam habent, quia [b] Huius Ætatis fragile & infirmum est Iudicium. Pubertati verò seu Adolescentiæ succedit Virilis Ætas seu Iuventus; postquam scilicet quis annum vigesimum quintum
c D.40.1.1. excessit, vel saltem diem postremum attigit. Nam [c] Mi-
d D.32.1.69. nor non est qui ultimi anni diem supremum agit. Et [d] Iuvenis censetur qui adolescentis excessit ætatem quoad incipiat inter seniores numerari. Atq; hæc perfecta habe-
e D.4.4.1. tur ætas quæ ad omnia sufficiat, quia [e] Post hoc tempus compleri virilem vigorem constat.

Non eadem est Potestas Impuberum, & eorum qui
f I.2.12.1. propter Senectutem imbecilliores facti sunt. Nam [f] Impuberes nullum negotium per se gerunt; quia Impube-

rum

rum nullum animi est iudicium. Multo minùs Infantes; cùm [g] Infans & qui infantiæ proximus est non multum distat à Furioso, quia huiusmodi ætatis pupilli nullum intellectum habent. Sed & [h] Qui senio & corporis imbecillitate vexantur multis negociis impares evadunt; à nonnullis abstinere debèt qui annis septuaginta maiores sunt. At [i] non videtur esse maior annis septuaginta, qui adhuc agit annum septuagesimum.

g I.3.20.10.

h D.58.5.1, 7.

i D.50.6.3.

SECT. 4.

De Valetudine Hominis.

Valetudo est ex quâ quis inter Homines validè agit, & habetur in eo qui Mentis compos est, & Sanus corpore. Mentis compos est qui Intellectu & iudicio pollet. Sanus corpore cui membra solida sunt & integra. Deficit valetudo in eo qui Mente captus est, vel corpus invalidum habet. Mente captus est Demens qui semper opprimitur, & Furiosus qui corripitur Rabie. Corpus invalidum habet, qui vel vitio afficitur, quod est perpetuum corporis impedimentum; vel laborat Morbo qui est temporalis imbecillitas.

NOn sufficit aliquando ut quis iustâ sit ætate ad agendum, quòd impediat [a] Adversa valetudo propter quam negociis interesse non potest. Itaq; ultra ætatem requiritur recta Valetudo; & præcipuè Valetudo Mentis, cui obstat Dementia & Furor. Demens verò est mentis errore ductus, eâ captus non usquequaq; . [c] Furiosus est qui omni intellectu caret. Et [d] Furiosus nihil utilitèr agit nisi tempore dilucidi Intervalli. Nam [e] aliis hominibus continuum furoris infortunium accidit; alios furoris morbus non sine laxamento aggreditur, sed in quibusdam temporibus quædam iis intermissio pervenit. Et in hoc ipso multa est differentia, ut quibusdam breves induciæ, aliis

a I.1.25.7.

b 3. Tust. quæst.

c D.1.18.14.

d D.50.17.5.

e C.5.70.6.

aliis majores inducantur. Valetudini Corporis obstat Morbus & Vitium. E quibus [f] Morbus est temporalis corporis imbecillitas: Vitium est perpetuum corporis impedimentum. Vel [g] Morbus est habitus corporis contra naturam, qui usum ejus facit deteriorem, cujus causâ natura nobis ejus sanitatem dedit. Vitium est, ut, si quis balbus sit. Et [h] Morbus sonticus est qui cuiq; rei nocet.

f D.50.16. 101.

g D.21.1.1.7.

h D.50.16. 113.

Atq; hæc, de justâ personarum potestate, cuius in genere gradus sunt, Vita, Ætas, & Valetudo.

SECT. 5.

De justâ Rerum conditione, & de Rei Essentiâ.

Justa Rerum conditio est, ex quâ Iuri alicui subjici possunt. Cuinsmodi est Rei Essentia, Certitudo, & Valor. Essentia est quâ quid in Rerum naturâ habetur. Et contingit in eo quod possibile est, aut Præsens. Possibile est quod fieri potest, vel futurum speratur. Præsens est quod iam extat vel existit. Essentia verò desideratur in eo quod Impossibile est, vel Præteritum. Impossibile est quod evenire vel fieri nequit, sive quòd Absurdum est, à quo Natura abhorret, sive quòd Turpe sit, quod Iura non admittunt. Præteritum est vel extinctum, quod esse desiit, vel cessavit ulteriùs fieri.

SIcut in Personis iusta requiritur Potestas, ut iuris alicuius capaces sint; ita in Rebus iusta conditio exigitur ut iuri alicui subjiciantur. Et ad hoc primò iusta rei conditio est, ut Actu vel saltem Potentiâ existat. Nam [a] Nihil peti potest ante id tempus quo per rerum naturam præstari potest, at deberi potest etiam quod futurum est. Vnde in Iure ratio habetur etiam de iis qui [b] spem commodi habent. Et [c] Non solùm fructus futuri rectè emuntur, sed

a D.50.17. 186.

b D.42.4.11.

c D.18.1.8.

&

& spei Emptio est, & quasi Alea emitur cùm captus piscium vel avium emitur. Alia autem est ratio eorum quæ prorsus Impossibilia sunt, aut Præterita. Nam ad hæc Ius competere non potest. Ita, [d] Ea quæ dari impossibilia sunt, vel quæ in rerum naturâ non sunt, pro non adjectis habentur. Et [e] Quod nullius esse potest, id ut alicujus fiat nulla obligatio valet efficere. Quibus æquiparantur quæ de Iure fieri nequeunt. Nam [f] Vbi de jure quid impleri non potest, perindè est ac si quod naturâ impossibile est insertum esset. Et generalitèr, [g] Quæ facta lædunt pietatem, existimationem, aut verecundiam nostram, aut contra bonos mores sunt, hæc nec nos facere posse credendum est. Postremò ad id quod præteritum est vel extinctum, Ius etiam extinguitur. Vndè [h] Ei qui nummos qui in arcâ sunt stipulatus est, si sine culpâ promissoris perierint nihil debetur. Et, [i] Si quis domum emit quæ combusta est, nihil vænit. Res verò extincta est quæ vel omninò interiit, vel cujus forma extinguitur. Nam [k] Mutata rei forma propè interimit substantiam rei. Manente verò eâdem formâ etiam mutatis partibus res eadem manere videtur. Ita [l] Legio eadem est ex quâ multi discesserunt quorum in loco alii suffecti sunt. Et Navis, etsi adeò sæpè refecta est, ut nulla Tabula maneat quæ nova non sit, eadem manet. Quòd, cujus rei species eadem consistit, res eadem quoq; existimanda est.

d D. 50. 17. 135.
e D. 50. 17. 182.
f D. 45. 1. 137. 6.
g D. 28. 7. 15.
h D. 45. 1. 37.
i D. 18. 1. 57.
k D. 10. 4. 9.
l D. 5. 1. 76.

SECT. 6.

De Rei Certitudine.

Certitudo est ex quâ de re aliquâ inter Homines constat. Et habetur in eo quod Definitum est & Distinctum. Definitum est quod propriâ formâ aut certâ quantitate determinatur: Distinctum est quod ab aliis divisum & discretum. Certitudo desideratur in eo quod Vagum est aut Varium. Vagum est quod nimis generale est: Varium

est quod in rebus diversis simul contingit, vel aliter se habere potest.

SEcundò, ut res juri subjiciantur, requiritur, ut certæ sint, adeo ut sensu & Intellectu Hominum percipiantur, quia Idem est non apparere & non esse. [a] Certum verò est, cujus Species vel Quantitas aut nomine suo, aut eâ demonstratione quæ vice nominis fungitur qualis, quantaq; sit ostenditur, atqui [b] Vbi non apparet, quid, quale, quantùmve est in stipulatione, incerta est stipulatio, ut si quis fundum sine propriâ appellatione, aut vinum, frumentùmve dari stipuletur. Ad ea quæ sunt prioris generis jus competere potest, non ad ea quæ sunt posterioris, ita [c] Locus certus ex fundo possideri, & per longam possessionem capi potest, incerta autem pars nec capi nec tradi potest. Nam qui ignorat, nec tradere nec accipere id quod certum est potest, & [d] imperfecta est stipulatio, si quis quod pondere, numero, mensurâ continetur sine adjectione ponderis, numeri mensuræ stipulatus sit, vel insulam ædificari non demonstrato loco, vel fundum dari non adjecto nomine. Idem est si quid nimiùm generali nomine denotetur: unde [e] in tradendis unis ædibus, ab eo qui binas habet, species servitutis exprimenda est, ne si generalitèr servire dictum sit, nihil valeat, quia incertum est quæ servitus accepta sit, unde etiam [f] In toto Iure Generi per speciem derogatur, & illud potissimùm habetur quod ad speciem directum sit. Deniq; nec in eo quod varium est aut dubium, jus constitui potest, ut si quis res plures habeat ejusdem generis, & unam legaverit, nihil valet, quia [g] diversitas rerum obscurum facit legatum.

a D. 12. 1. 16.
b D. 45. 1. 74.
c D. 41. 2. 26.
d D. 45. 1. 113.
e D. 8. 4. 7.
f D. 50. 17. 80.
g D. 49. 14. 40.

SECT. 7.

De Rei Valore.

Valor rei est ex quo quid inter homines utile censetur, & con-

tingit primùm ex rei præstantia, deinde ab æstimatione hominum. Rei præstantia est quatenus habenti prodest, cùm ad commodum spectat, vel placet, cùm ad Delicias refertur, vel Interest, cùm sine Incommodo desiderari non potest. Æstimatio hominum est quanti digna res videtur, ut pretio sive pecuniâ compensetur. Valor deficit in Eo quod Vanum est, aut Vile. Vanum est quod nullius usus est, aut nihil refert. Vile est quod nihili, aut parvi penditur.

TErtiò, ut rēs Iuri subjiciantur alicujus usus & valoris esse debent. Nam [a] De his rebus rectè negotium gerimus quæ subjici usibus nostris possunt. & primò Res valorem habent à necessitate, utilitate, & voluptate. [b] Necessaria res est sine qua res alia peritura, aut deterior futura est; utilis est quæ rem meliorem facit, deteriorem esse non sinit; voluptuaria est quæ speciem ornat, non etiam fructum auget. Deinde ratio habetur etiam ejus quod interest, Lucri scilicet cessantis, aut Damni emergentis. [c] Quod aut consequi potuimus, aut erogare cogimur, quod à personis, locis, & temporibus pendet, unde [d] Quatenus cujusq; interfit, in facto, non in Iure consistit. Deniq; res æstimationem habet ab opinione hominum, communi scilicet, non singulari, nam [e] pretia rerum non ex affectione, nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur. Et [f] Res tanti valet, quanti vendi potest. Atq; hujusmodi Res sunt quæ in jure respiciuntur, non quod inutile est, aut vile. Itaq; [g] Irritum est legatum si debitor venditori leget quod debere se fatetur, quia nulla utilitas est. Et [h] Quoties nec hominum nec prædiorum servitutes sunt, quia nihil vicinorum interest, non valent, veluti ne per fundum tuum Eas, sed nec ob modicam vel minimam rem jus semper competit. Ita [i] propter minimam rem vel summam non auditur is, qui in integrum restitui petit, & in judicio de impensis in rem dotalem factis [k] In ædificandis ædibus, & in reponendis, propagandisq; vineis modicas

a D.45.1.83.

b D.50.17.76.

c D.9.2.33.

d D.50.17.24.

e D.9.2.33.

f D.36.1.1.16.

g D.34.3.25.

h D.8.1.15.

i D.4.1.4.

k D.25.1.12.

modicas impensas arbiter curare non debet.

Hujusmodi sunt conditiones rerum quæ requiruntur ut res juri subjiciantur.

SECT. 8.

De justo Actuum humanorum Modo, & de Actus Intentione.

Justus Actuum humanorum modus est, ex quo aliquem juris effectum pariunt, ad quod requiritur Intentio, Executio, & Robur. Intentio Actus est Mens, & propositum agentis, & habetur in iis, quæ consulto & sponte fiunt. Consulto fiunt quæ à Sciente & cogitatò aguntur, Sponte quæ Consensu & voluntate libera. Intentio verò desideratur in eo quod Temerè, vel Coactè agitur. Temerè agitur, quod Casu aut per Errorem agi contingit, Coactè, quod vi, vel Metu extorquetur.

VLtra potestatem personarum, & conditionem rerum observandus est modus Actuum, quibus jus inducitur, in quibus Primò requiritur Agentis intentio, quæ ab Intellectu, & Voluntate procedit. Intelligat enim oportet qui agit, ut Actus ipsum afficiat, immò in plerisq; plena, & perfecta scientia exigitur; ita Iureconsultus [a] In totum omnia quæ animi destinatione agenda sunt non nisi vera & certa scientia perfici possunt, & [b] Quod incautè fit pro non facto est. Deinde voluntas & consensus est necessarius, nam [c] Ita demum valet quod actum est, si in id consentitur, & voluntas debet esse libera, unde [d] Velle non creditur qui obsequitur imperio Patris, vel Domini, & facultatem habere ad opposita, unde [e] Ejus est non velle qui potest velle. Voluntas verò non solum voce exprimitur, sed [f] Quæ solo consensu constant etiam per nuntium vel Epistolam contrahi possunt, immò aliquando ex silentio

[a] D. 50. 17. 79.
[b] D. 28. 4 1.
[c] D. 45. 1. 35.
[d] D. 50. 17. 4.
[e] D. 50. 17. 3.
[f] D. 17. 1. 1.

silentio colligitur ut [g] Qui tacet consentire videtur, saltem non dissentire, cum [h] Qui tacet non utiq; fatetur, sed tamen verum est eum non negare. Intentio verò deficit primùm in eo quod Temerè vel ex animi perturbatione provenit, unde [i] Quicquid in calore Iracundiæ vel fit vel dicitur non prius ratum est quam si perseverantia apparuit judicium animi fuisse. Ita & in eo quod per errorem admittitur. Nam [k] non videntur qui errant consentire, unde in omnibus negotiis contrahendis si error aliquis intervenit, nihil valet quod actum est. Quod intelligendum de Errore facti, nam [l] Error in jure non eodem loco quo facti ignorantia haberi debet, cum Ius finitum & possit esse, & debeat, facti interpretatio plerumq; etiam prudentissimos fallat. Vnde [n] Regula Iuris est, Ignorantiam juris cuiq; nocere, facti verò ignorantiam non nocere. Tertiò etiam quod per Casum contingit nemini imputatur. Nam [o] quod fato contingit cuivis etiam diligentissimo patrifamilias potest contingere. Et [p] Fortuitos casus humanum consilium providere non potest. Quartò deficit Consensus in eo quod per Vim, aut Metum fit, quippe [q] Nihil consensui tam contrarium est, quam Vis, & Metus; cum [r] Vis necessitatem imponit contrariam voluntati. Oportet autem vim esse majorem, nam [s] Vis propriè est majoris rei impetus qui repelli non potest, & cum de vi quæritur [t] Vim atrocem accipimus, & eam quæ adversus bonos mores fiat. Similiter & Metus gravior esse debet, quippe [u] Vani timoris nulla est excusatio. Et Iureconsultus ait [x] Metum accipiendum non quemlibet timorem sed majoris malitatis; alius definit [y] Metum non vani hominis, sed qui merito cadat in constantem virum. Deinde violentiæ, & metui affinis est necessitas, neq; enim quod per necessitatem fit vel omittitur, imputatur. Vnde [z] Quoties quis ex necessitate, non ex voluntate abfuit, ei subvenitur, & succurritur ei qui tempestate aut vi fluminis prohibitus non venit. [a] Si quis tamen cum posset non incidere in tempestatem, vel vim fluminis, si opportuno

[g] c. 43. r. 1. 60.
[h] D. 50. 17. 142.
[i] D. 50. 17. 48.
[k] D. 50. 17. 116.
[l] D. 22. 6. 2.
[n] D. 22. 6. 9.
[o] D. 4. 4. 11. 5.
[p] D. 50. 8. 2. 7.
[q] D. 40. 17. 116.
[r] D. 4. 2. 1.
[s] D. 4. 2. 2.
[t] D. 4. 2. 3.
[u] D. 50. 17. 184.
[x] D. 4. 2. 5.
[y] D. 4. 2. 16.
[z] D. 4. 6. 26.
[a] D. 2. 11. 2. 6

tempore profectus esset, ipse se arctaverit, non permittendum est ei causari tempestatem, vel vim fluminis. Nam [b] Non negligentibus subvenitur, sed necessitate rerum impeditis.

[b] D.4.6.16.

SECT. 9.

De Actûs Executione.

Executio Actus est cùm Intentio Agentis de facto expeditur, & contingit in Actu Perfecto & Absoluto, Perfectus est qui consummatus est (id est) ad finem perducitur, & qui Clarus est, id est, de quo planè, & plenè liquet. Absolutus est qui simpliciter & purè fit, nec post se aliud expectat. Executio deficit in eo quod Imperfectum est, aut in suspenso. Imperfectum est quod inchoatum est duntaxat, aut in Conatu subsidit, aut quod obscurum est, de quo non satis constat. In suspenso est quod à conditione pendet, & quod diem ex quo effectum sortiatur, adjectum habet.

SEcundò, præter Intentionem Actus, ut Iustum effectum sortiatur requiritur executio. Imperfectus enim haud perfectè operatur. Ita cùm posteriore testamento rumpatur prius, [a] Tabulæ priores jure factæ non fiunt irritæ, nisi sequentes perfectæ fuerint, nam imperfectum Testamentum nullum est. Actus vero cùm facto aut verbis constet, ita demum perfectus est, si quod facto constet consummatum, si quod verbis clarum sit; ita ad factum quod attinet [b], Theatrum aut stadium feciſse non intelligitur, qui in propriam formam, quæ ex consummatione contingit, non dederit: & [c] Perfeciſse ædificium is dicitur, qui ita consummavit ut jam in usu esse possit, & hujusmodi actus jus præcipuè respicit, ita [d] Opere locato significatur id opus quod Græci Ἀπόλεσμα vocant, (id est) ex opere facto Corpus aliquod perfectum. Et [e] verba

[a] I. 2.17.7.

[b] D.35.2.80.

[c] D.50.16. 139.

[d] D.15.16.5.

[e] D. 2.7.5.

cum

cum effectu sunt accipienda, unde cùm Edicto Prætoris constitutum sit, Quod quisq; juris in alterum iniquè statuerit, ut ipse Eodem utatur. Hæc verba (inquit Iureconsultus) [f] Quod statuerit cùm effectu accipimus, & ideo si cum vellet statuere prohibitus esset, edictum cessat, nam verbum *statuit* rem perfectam significat, & consummatam injuriam, non cæptam. Nec officit Conatus cùm injuria nullum habuerit effectum. *f* D.2.2.1.

In verbis ut justum effectum consequantur requiritur ut sint Clara, quippe quod obscurum est, Cujus sensus omnino non percipitur; Aut ambiguum quod dubie, vel diversa significat, minimè operatur. Ita [g] quæ in Testamento ita scripta sunt, ut intelligi non possunt, perinde sunt ac si scripta non essent, & [h] si Titius datus est tutor cùm duo sint Titii, is datus est quem testator dare se sentit, si id non apparet, non jus deficit sed probatio, unde neuter eorum tutor erit. Quod verum, quando vis orationis pendet à voluntate sola proferentis, aliàs cum refertur etiam ad Intellectum alterius acceptantis, quod obscurum vel ambiguum est, interpretationem admittit. Et tùm, [i] Veteribus placuit; Pactionem obscuram vel ambiguam iis nocere, quorum in potestate fuit legem apertius conscribere, & [k] semper in obscuris id quod minimum est sequimur, nisi aliunde de mente disponentis constare possit, de qua aliquando ab affectione præsumitur, unde [l] quod factum est cum in obscuro sit, ex cuiusq; affectione interpretationem capit, aliquando à verisimili, ita [m] in obscuris inspici solet quod verisimilius, aut plerunq; fieri solet, aliquando ex eo quod actum sustinet, unde [n] Quoties ambigua oratio est, commodissimum est id accipi, quo res de quâ agitur, magis valeat quàm pereat, aliquando ex eo quod negotio magis convenit. Vnde [o] Quoties idem sermo duas sententias exprimit, ea potissimùm accipienda est, quæ rei gerendæ aptior est. Deinde, ut actus effectum sortiantur, multum interest utrum purè & absolutè fiant, an in diem differantur, aut propter conditionem in suspenso

g D.50.17.73.
h D.26.2.30.
i D.2.14.39.
k D.50.17.9.
l D.50.17.168.
m D.50.1.17.114.
n D.34.5.12.
o D.50.17.67.

spenso sint, [p] Vbi purè quis stipulatus est, & cessit, & venit dies, id est, incipit deberi pecunia, & peti potest; ubi in diem stipulatur cessit dies sed nondum venit; ubi sub conditione, neque cessit neq; venit dies pendente adhuc conditione. Quidam verò actus conditionem non admittunt, & proinde [q] Actus legitimi qui non accipiunt diem vel conditionem, veluti emancipatio, hæreditatis aditio, in totum vitiantur per temporis vel conditionis adiectionem, nec omnes conditiones admittuntur, utpote nec impossibiles, nec turpes quæ aliquando irritum faciunt actum, aliquando ipsæ sunt irritæ. Actum irritum faciunt si contractui sint appositæ, nam, [r] Contractus impossibili conditione applicati nullius momenti sunt, quia in ea re quæ ex duorum pluriumve consensu agitur, omnium voluntas spectatur, quorum proculdubio in huiusmodi actu talis cogitatio est ut nihil agi existimet, appositæ ea conditione quam sciunt esse impossibilem. Ipsæ irritæ sunt & pro non adiectis habentur si hæredum institutioni vel legatis apponantur, de quibus Iure-consultus [s] Obtinuit [t] Impossibiles Conditiones pro nullis habendas, & [t] Conditiones contra leges aut quæ legis vicem obtinent, vel quæ contra bonos mores, vel derisoriæ sunt pro non scriptis habentur. Et quandoquè Impeditus videtur conditionem adimplesse, scilicet [u] Iure civili receptum est quoties per eum cuius interest conditionem impleri, fit quo minus impleatur, perinde habetur, ac si impleta conditio fuisset.

[p] D.50.16. 213.
[q] D.50.17. 77.
[r] D.44.7.31.
[s] D.35.1.3.
[t] D.28.7.14.
[u] D.35.1.24.

SECT. 16.

De Actus Probitate.

Actus probitas est in quantum firmus & bonus censetur, quod contingit cum rectè & ritè fit. Rectè fit quod fit secundum Jus, & in quo quis bonam fidem & diligentiam adhibet. Bona fides est facere prout sibi rectum videtur.

Diligentia

Diligentia est, eâ quâ in rebus suis homines providi utuntur industriâ uti. Ritè fit, cum quis solenniter. i. eodem modo quo oportet, & opportunè. i. debito loco & tempore facit. In Actu probitas desideratur, quum pravè fit vel perperam. Pravè fit quod contra ius admittitur, & in quo quis malâ fide, sive dolosè versatur. i. contra id quod sibi rectum videtur facit, aut negligentiam seu culpam committit, quam vir prudens & bonus non committeret. Perperam fit cum quis omissis solennibus, nec prout oportet facit, aut non observatis circumstantiis ubi non debuerit, aut intempestivè agit.

SVpremum est in actu quo Ius acquiritur vel transfertur ut consideretur quando firmus & probus habeatur. Et primò [a] dubium non est, omnia quæ consilio Rectè geruntur jure meritoq; effectu & firmitate niti. [b] Ea verò quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta non solum inutilia, sed etiam pro infectis sunt habenda. Quod semper obtinet cum lex aliquid irritum esse Iubet. Aliquando Quod fieri non debet factum valet, at licet irritum non sit, reprobatur tamen & est inutile, plerumq; etiam damnosum. Etenim [d] moderator provinciæ operam dare debet, ut quæ contra fas gesta sunt calliditatis fructum non percipiant. Eò idem est contra sententiam ac contra verba legis committere, quippe [e] Non est dubium in legem committere eum, qui verba legis amplexus contra legis nititur voluntatem: nam [f] Fraus fit legi, ubi quod fieri noluit, fieri autem non vetuit, id fit. Secundò, firmum, & probum est quod fit bonâ fide. Improbatur autem quod fit malâ fide, vel dolo. Ita Imperator, [g] Ratum non habetur, quod non bonâ fide gestum est, unde malæ fidei emptio irrita est. [h] Nec longi temporis præscriptio in malæ fidei contractibus locum habet. Quippe [i] quod vitiosum est non potest tractu temporis convalescere. Nedum autori prodest dolus suus, qui præsumitur in eo qui magistratui non paret. Nam [k] Non potest dolo carere qui imperio

a C.5.17.3.
b C.1.14.5..
d C.5.1.7.3.
e C.1.14.5.
f D.1.3.29. & 30.
g C.4.44.1.
h C.7.22.6.
i D.50.17.29.
k D.50.17.199.

rio Magistratûs non paruit. Et è contra necessitas excusat à dolo. Vndè [l] Non videtur dolo malo facere qui parere necesse habet. Tertiò, ut actus perfectus habeatur, requiritur diligentia, culpa verò & negligentia omninò improbantur, immo [m] Lata culpa dolo comparatur, & [n] Magna negligentia culpa, magna culpa dolus est. [o] Lata verò culpa est non intelligere quod omnes intelligunt. At [p] culpa abest, si omnia facta sunt quæ diligentissimus quisq; observaturus fuisset. Et [q] Culpâ caret qui scit, sed prohibere non potest. Quòd verò negligentiâ vel culpâ admittitur, autori in damnum cedit; quia [r] Non debet quis negligentiam suam ad alienam injuriam referre. Et [s] Quod quis ex culpâ suâ damnum sentit non intelligitur sentire. Deindè [t] Imperitia culpæ annumeratur. Quia [u] Culpa est immiscere se rei ad se non pertinenti. Et [x] Infirmitas culpæ annumeratur, cum affectare quisq; non debeat id in quo intelligit vel intelligere debet infirmitatem suam alii periculosam fore.

Atq; hæc ad intrinsecam actuum bonitatem requiruntur: ad extrinsecam, ut Ritè fiant, non perperàm. Ita, [y] Non quævis exhæredatio summovet filium à bonorum possessione, sed ea quæ rite facta est. Et [z] Nulla differentia est, non interveniat autoritas Tutoris, an perperàm adhibeatur. Et [a] Quoties vitiosè cautum est, cautum non videtur. Et, ut Ritè quid fiat observandæ sunt Solennitates, & circumstantiæ requisitæ. Ita, cum necessaria Solennitas esset, Testamentum à Testibus subscribi & signari, [b] Non subscriptum aut non signatum testamentum pro infecto habetur; Et cùm Scriptura fuit necessaria solennitas sententiæ: [c] Sententia quæ dicta fuit, cùm scripta non sit ne nomen quidem sententiæ habere meretur. Et tamen [d] Etsi nihil facilè mutandum est ex solennibus, ubi æquitas evidens postulat subveniendum est. Ad circumstantias refertur, Palâ an Clam quid fiat. Ita [e] Hæredes palâ nuncupandi sunt. Licet ergo testanti vel nuncupare hæredes, sed si nuncupet, palam debet. Et [f] sententia Præsidis irrita

l D.50.17. 167.
m D.11.6.1.
n D.50.16. 226.
o D.50.16. 223.
p D.19.2.25.
q D.50.16. 50.
r D.2.15.3.
s D.50.17. 203.
t D.50.17. 132.
u D.50.17. 39.
x D.9.2.8.
y D.37.4.8.
z D.26.8.8.
a D.2.8.6.
b C.6.23.21.
c C.7.44.3.
d D.50.17. 183.
e D.28.1.21.
f C.7.45.6.

irrita est, cùm non publicè sed in secreto loco, officio ejus non præsente, sententiam suam dixit. Et in circumstantiis multum refert, quo Tempore quid factum sit. Nam [g] minus solvit qui tardiùs solvit. Et [h] sua unicuiq; mora nocet. Et [i] Quamvis moræ difficilis est definitio, eum sit Facti magis quàm Iuris, mora tamen fieri intelligitur, si interpellatus opportuno loco non solverit.

g D. 50. 16. 12.
h D. 50. 17. 173.
i D. 22. 1. 32.

PARS TERTIA

SECT. I.

De Iure Privato.

IUs privatum est quod Personis singulis competit: Quod in Commodo & in Lucro ponitur. Commodum est utilitas quæ Personæ vel Rei ex naturâ suâ cohæret. Lucrum est quod alicui ex facto suo vel alieno supervenit. Ius privatum deficit ex incommodo & Dispendio. Incommodum est Inutilitas vel Onus quod Personam vel Rem sequitur. Dispendium est utilitatis diminutio vel cessatio. Et Ius privatum ad statum, Possessionem, & Obligationem privatam refertur.

IVs in genere, in jus privatum & Publicum distribuitur. [a] Sunt enim quædam privatim, quædam publicè utilia. Et definitur [b] Ius privatum quod ad singulorum utilitatem spectat.

a D.1.1.1.2.
b D.1.1.1.2.

In quo primum censetur Commodum quod cuiq; innatum est & cohæret: cui incommodum sive Onus adversatur. De quibus regula est, [c] Secundum naturam est commodum cujusq; rei eum sequi quem sequuntur incommoda; Et è contrà: unde, [d] ubi Emolumentum est, ibi & onus esse debet.

c D. 50.17. 10.
d I.1.17.1.

Deinde in jure Privato habetur Lucrum, cui Damnum vel Dispendium opponitur. De quibus observatur, quod [e] Bono & æquo non convenit, aut lucrari aliquem cum damno alterius, aut damnum sentire per alterius lucrum. Et [f] Iure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimen-

e D. 23.3.6.
f D.50.17. 206.

mento & injuriâ fieri Locupletiorem. [g] Nec debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. Quod [h] Naturalis & civilis ratio suadet, alienam conditionem meliorem quidem, etiam ignorantis & inviti, nos facere posse, deteriorem non posse. Quod verum est de invito, hoc est, de eo qui non voluit, secùs de invito qui noluit aut repugnat. Nam ejusmodi [i] Invito beneficium non datur; prout volenti non fit Injuria: quòd [k] Nemo videtur fraudare eos qui sciunt & consentiunt. Sed & [l] Nemo damnum facit nisi qui id facit quod facere jus non habet. Vnde, [m] qui cùm aliter se tueri non possunt, damnum dederint, innoxii sunt. Vim enim vi defendere omnes leges & omnia jura permittunt.

[g] D. 50. 17. 74.
[h] D. 3. 5. 39.
[i] D. 50. 17. 69.
[k] D. 50. 17. 145.
[l] D. 50. 17. 151.
[m] D. 9. 2. 45.

SECT. 2.

De Iure Statûs & de Iure Hominis liberi.

Ius statûs est potestas personis ipsis inhærens, ex quâ cum hominibus singulis agendi capaces sunt.

Est autem vel Liberi, vel civis, vel Patrisfamiliâs. Ius hominis liberi, sive Libertas, est ex quo quis potestatem habet in iis quæ sunt à Iure Gentium: & contingit à Natalibus, & à Manumissione. Natales sunt nascendi conditio ex parentibus liberis. Manumissio est ex servitute liberatio.

Libertas deficit in Servo qui ita natus nondum servitute evasit, & in eo qui in Libertate constitutus eâ excidit, ut qui se in servitutem vendidit, vel manumissus propter ingratitudinem in servitutem revocatur.

QVemadmodum ad Ius in genere Potestas generalis requiritur; ita ad Ius privatum potestas privata, quæ status vel caput dicitur.

Cujus gradus primus est [a] Libertas, quæ definitur, facultas

[a] D. 1. 5. 4.

cultas ejus quod cuiq; facere libet, nisi si quid vi aut jure prohibetur. De quâ Iureconsultus,[b] Libertas inæstimabilis res est. Et [c] Libertas omnibus rebus est favorabilior. Et primò, qui à Natalibus liber est ingenuus dicitur. [d] Ingenuus, scilicet, est qui statim ut natus est liber est. Secundò, [e] Libertini sunt qui ex justâ servitute manumissi sunt, qui Patronis obsequium debent.

Libertati verò Servitus adversatur, quæ definitur, [f] Constitutio juris gentium quâ quis dominio alieno contra naturam subjicitur. Cujus conditionis homines multa agere non possunt quæ liberis permittuntur. Ita Iureconsultus, [g] In omnibus officiis, quæ fieri per liberas personas leges desiderant, servus intervenire non potest. Imò, [h] Servile caput nullum Ius habet, & [i] Servitus morti ferè comparatur. Deniq; in Servitutem homines rediguntur maximâ capitis diminutione: quæ contingit (præterquam Servitute pœnæ, quæ ad Ius Publicum spectat) [k] cùm maior viginti-quinq; annis ad precium participandum se vænire passus est. Vel cum [l] Libertus ut ingratus erga Patronum condemnatur. Nam [m] qui libertatem meruerunt, servare debent iis qui ad talem honorem eos perduxerunt obsequium & reverentiam rectè Legibus introductam. Quin etiam abstinere debent aut manibus, aut Insidiis, aut aliis ex quibus Liberti tale aliquid agentes rursus servitutem sustinent, & priori conditioni restituuntur.

b D.50.17. 106.
c D.50.17. 121.
d I.1.4.1.
e D.1.5.6.
f D.1.5.4.
g D.50.17. 175.
h D.4.5.3.
i D.50.17. 209.
k D.1.5.5.
l I.1.16.1.
m N.78.2.

SECT. 3.

De Iure Civis.

Ius Civis, sive Civitas, est, ex quo quis potestatem habet in iis quæ sunt Juris civilis. Et contingit aut Origine, aut ab Allectione. Cives fiunt Origine, qui parentibus Civibus nascuntur. Allectione, qui in numerum civium cooptantur. Deinde, Civitas deficit in peregrino, qualis

qualis est qui alibi natus jus Civis nondum adeptus est, & qui alim civis ad Peregrinitatem redigitur, ut cum quis in aliam civitatem se transfert, vel solum vertit.

POtestatem quam quis habet quâ Liber, plenior est, quam quis habet quâ Civis, nam Ius Civis, ius Liberi includit. Cives verò sunt qui Ius Patriæ habent, qui æquo iure cum aliis civibus vivunt. Et hunc statum obtinent, primò qui sunt Civibus oriundi. Nam [a] qui ex duobus Campanis, vel ex patre solùm Campano natus est Campanus est. Et [b] Filius civitatem ex quâ Pater eius Originem ducit non Domicilium sequitur. Sed & [c] qui in continentibus urbis nati sunt Romæ nati intelliguntur. Et [d] qui ex vico ortus est eam patriam habere intelligitur, cui Reip. vicus ille respondet. Secundò, Cives etiam Allectione fiunt. Nam [e] Cives Origo & Allectio, Incolas domicilium facit.

Civitati opponitur status Peregrini. De quo Iureconsultus [f] quidam inquit πόλιδος sunt, hoc est, sine civitate, ita ut ea quæ iuris gentium sunt habeant, ea quidem quæ sunt iuris civilis non habeant. Cuiusmodi est conditio eorum qui in alienâ Rep. nati sunt, & qui in alienam se transferunt; Nam [g] Libera facultas est cuiq; de suâ civitate constituendi, in iis scilicet quæ ad commodum spectant; sed & eorum qui Civitatem suam deserunt, etsi in aliam non transeunt: ut [h] qui Exilium voluntarium subeunt, vel [i] Exilii causâ solum vertunt.

a D.50.1.1.
b D. 50.1.6.
c D 50.16. 147.
d D.50.1.30.
e C.10.39.7.
f D.48.19. 17.
g D.49.15. 12.9.
h D.48.19. 16.8.
i Cic. pro Quint.

SECT. 4.

De Iure Patrisfamiliâs.

Ius Patris-familiâs, vel Familia, est ex quo quis in omnibus quæ à Iure Gentium vel Civili descendunt absolutam potestatem habet, id est, Per se & Pro se potest agere. Et cernitur, primùm in eo qui est sui Iuris; deinde in

in eo qui alios habet in poteſtate. Sui Iuris eſt Paterfamiliâs penès quem eſt ſui, & rerum ſuarum arbitrium: Alios in Poteſtate habet Paterfamiliâs, cui ex matrimonio uxor, ex Paternitate liberi ſubjiciuntur.

Deniq; Ius familiæ deficit omninò in Filiofamiliâs, quadantenùs in Minore. Filius familiâs eſt, qui in poteſtate Patris pro quo agit derinetur, donec Emancipatione, vel Morte Patris liberatur. Minor eſt, qui ſub autoritate Tutoris, vel Curatoris per quem agit conſtituitur. E quibus Tutor vel ex Voluntate Patris quem ſtatuerit, vel ex diſpoſitione Legis Agnatus proximus, vel arbitrio Magiſtratûs quivis idoneus uſq; ad Pubertatem præficitur; Curator poſteà uſq; ad perfectam ætatem à Pubere aſciſcitur; Dementi, & Prodigo etiam ulteriùs aſſignatur.

HOminis liberi & Civis, complectitur, & excedit poteſtas Patrisfamiliâs, qui in rem ſuam omnia & abſq; alterius autoritate agere poteſt. [a] Familiæ verò appellatio refertur ad Corpus, quod Iure communi univerſæ cognationis, aut Iure proprio ipſorum continetur. Communi Iure familiam dicimus omnium agnatorum, qui ex eâdem gente proditi ſunt. Nam cùm [b] Cognati ſint omnes, qui ab eâdem communi ſtirpe orti progenitive ſunt, [c] Agnati ſunt cognati per virilis ſexûs perſonas conjuncti. [d] Iure proprio familiam dicimus plures perſonas qui ſunt ſub unius poteſtate, utputa Patremfamiliâs, Matremfamiliâs, filiumfamiliâs, quiq; deinceps vicem eorum ſequuntur. Sed & [e] Appellatione familiæ etiam Princeps familiæ continetur. Ius verò familiæ eſt poteſtas agendi ea quæ ſpectant ad familiam. Vnde [f] Patres-familiâs ſunt, qui ſunt ſuæ poteſtatis. Et [g] Pater-familiâs eſt, qui in domo dominium habet: rectéq; hoc nomine appellatur, quamvis filium non habet, non enim ſolùm perſona ejus, ſed & Ius demonſtratur. Pleniùs verò Patrisfamiliâs Ius eſt, quando alios habet in poteſtate, quod contingit à Matrimonio,

[a] D.50.16. 195.
[b] D.38.11.4.
[c] I.1.15.1.
[d] D.50.16. 195.
[e] D.50.16. 196.
[f] D.1..4.
[g] D.50.16. 195.

trimonio, & Paternitate. [h] Matrimonium est viri & mulieris conjunctio individuam vitæ consuetudinem continens, quod initiatur sponsalibus, perficitur nuptiis. [i] Sponsalia verò sunt mentio & promissio futurarum nuptiarum. Nuptiæ sunt solennis conjugii celebratio, in quibus animorum potius quàm corporum conjunctio respicitur, quia [k] Nuptias non Concubitus, sed consensus facit. Et [l] Nuptiæ consistere non possunt, nisi consentiant omnes, id est qui coeunt, quorumq; in potestate sunt. Et consensus eorum qui contrahunt liber esse debet, nam [m] Inhonestum est vinculo pœnæ matrimonia obstringi. Etenim [n] in contrahendis matrimoniis, naturale Ius & pudor inspiciendus est, & [o] Semper in conjunctionibus non solùm quid liceat considerandum est, sed & quid honestum sit. Matrimonii verò effectus est ut uxor marito obsequium præstet, [p] quod est reverentiæ maritali debitum, quia [q] uxor marito officium debet. Paternitas est liberorum ex Iustis nuptiis procreatio, ita Imperator, [r] In potestate nostrâ sunt liberi, quos ex Iustis nuptiis procreavimus, & [s] Pater is est, quem nuptiæ demonstrant. Sed & latâ significatione [t] Filii appellatione omnes liberos Intelligimus, & [u] liberorum appellatione Nepotes & Pronepotes cæteriq; qui ex his descendunt continentur. Ex Paternitate [x] Filius patri pietatem debet, & [y] reverentia omnibus parentibus servanda est. Et [z] pietas parentibus, etsi inæqualis est eorum potestas, æqua debetur; & è contra, [a] Potestas patris debet in pietate non in atrocitate consistere. [b] Fœminarum verò liberi in earum familiâ non sunt, quia qui nascuntur patris non matris familiam sequuntur, unde dicitur quòd [c] Mulier familiæ suæ & caput est & finis. Etsi autem [d] Cum legitimæ nuptiæ factæ sunt patrem liberi sequuntur, vulgo quæsitus matrem sequitur. Ius familiæ primum deficit in filiofamiliâs qui pro patre agit omnia. Ita Imperator [e] Quicquid acquirit filius, acquirit patri, donec Emancipetur, vel morte patris liberetur. [f] Emancipare verò est filium è potestate dimittere,

[h] l.1.9.1.
[i] D.23.1.1.
[k] D.50.17.30.
[l] D.23.2.2.
[m] D.45.1.134.
[n] D.23.2.14.
[o] D.50.17.197.
[p] C.5.13.1.7.
[q] D.38.1.48.
[r] I.1.9.1.
[s] D.2.4.5.
[t] D.50.16.84.
[u] D.50.16.220.
[x] D.22.3.8.
[y] D.2.4.6.
[z] D.27.10.4.
[a] D.48.9.5.
[b] D.50.16.196.
[c] D.50.16.195.
[d] D.1.5.19.
[e] I.2 9.1.
[f] I.1.12.7.

tere, ad quod parentes cogendi non ſunt. Nam [g] liberi nullo modo poſſunt parentes cogere de poteſtate ſuâ eos dimittere. Deinde morte patris liberantur, quippe [h] cum paterfamiliâs moritur, quotquot Capita ei ſubjecta fuerint ſinguli familias habere incipiunt. A filiifamiliâs conditione non multum diſtat qui autoritate Tutoris vel Curatoris, ſine quo nihil agit, regitur. Impubes ſcilicet, minor, & furioſus. Et primum [i] Impuberem in tutelâ eſſe naturali Iuri convenit, ut is qui perfectæ ætatis non eſt alterius tutelâ regatur. Vnde [k] Pupillis nec velle nec nolle niſi appoſitâ tutoris autoritate creditur. Et primò [l] permiſſum eſt parentibus liberis ſuis ſi in poteſtate ſint teſtamento tutores dare. Deindè [m] inteſtato parente mortuo, agnatis defertur tutela, ut qui ſperant ſucceſſionem, iidem curent, ne bona dilapidentur. Tertiò [n] ſi cui nullus omnino tutor fuerit, ei datur in urbe à Prætore urbano, in provinciis à Præſidibus provinciarum. Et [o] Magiſtratum oportet cum reliquis etiam mores tutorum creandorum inveſtigare. Neq; enim facultates, neq; dignitas ita ſufficiens eſt ad fidem, ut bona Electio, & benigni mores. [p] Maximè verò hoc obſervet magiſtratus, ne creet eos tutores qui ſeipſos ingerunt, ut creentur. Sed ut pupillo tutor, ita adulto minori viginti quinq; annis, volenti, & ei qui minus Iudicio pollet, etiam majori & invito, Curator datur. Nam [q] illis qui in eâ cauſa ſunt, ut ſupereſſe ſuis rebus non poſſint, dare Curatorem magiſtratum oportet; Inter quos etiam prodigus cenſetur, Ita Imperator, [r] Non eſt novum quoſdam etſi mentis ſuæ ex ſermonibus compotes eſſe videantur, tamen ſic tractare bona ad ſe pertinentia, ut niſi ipſis ſubveniatur, deducantur in egeſtatem, Eligendus itaq; eſt, qui eos conſilio regat: Nam æquum eſt proſpicere etiam iis, qui, quod ad bona ipſorum pertinet, furioſum faciunt exitum. Atq; hæc de Iure ſtatûs privati.

[g] I.1.12.10.
[h] D.50.16.195.
[i] I.1.20.6.
[k] D.50.17.189.
[l] D.26.2.1.
[m] D.26.4.6.
[n] D.26.6.2.
[o] D.26.5.21.
[p] D.26.5.21.
[q] D.26.5.12.
[r] D.26.5.12.

SECT.

SECT. 5.

De Iure possessionis, & de Iure dominii.

Ius Possessionis est ex quo quis res in potestate habet, quæ ad Dominium, usum, vel Patrimonium pertinent. Ius Dominii est ex quo quis de rebus ipsis disponendi potestatem habet; quæ Occupatione & Accessione acquiritur; Occupatio est rei quæ nullius est apprehensio, veluti cùm Aucupio volucres, Venatione feræ, Piscatione Pisces, Inventione inanimata capiuntur. Accessio est cùm quid ex alicuius re provenit, vel Rei cohæret. Ex Re alicuius provenit quod ex re illius confectum est, item animalium Fœtus, rerum inanimatarum Fructus: Rei alicuius cohæret quod per Alluvionem fundo adquiritur, quod solo insitum, vel infixum, quod rei cuilibet insertum, vel intextum est. Dominium amittitur Donatione, & Cessione. Donatio est cum quid liberè & apertè in alium confertur. Cessio est cum quis rem manifestè pro Derelicto habet, & aliis statim acquirendi potestatem facit, vel omninò negligit, unde aliis Vsucapiendi, id est, ex diutinâ possessione acquirendi occasio datur.

Extra hominem ipsum Ius privatum in Rebus competit, quæ ab homine possidentur, id est, quas quis habet. [a] Habere autem dicimus eum, qui rei dominus est, & qui rei quidem dominus non est sed rem tenet, & [b] Possessio non tantùm Corporis, sed & Iuris est, sed [c] Plures eandem rem in solidum possidere non possunt. [d] Ex pluribus autem causis possidere eandem rem possumus. [e] Nemo tamen Possessionis causam sibiipsi mutare potest. Et [f] Is possidet cujus nomine possidetur; unde [g] Aliud est possidere, Aliud in possessione esse. Deinde [h] Nulla possessio acquiri nisi animo & corpore potest; [i] Possessio verò animo

[a] D.45.1.38.
[b] D.41.2.49.
[c] D.41.2.3.5.
[d] D.41.2.3.4.
[e] D.41.2.3.18.
[f] D.41.2.18.
[g] D.41.2.10.
[h] D.41.2.8.
[i] D.41.2.46.

animo ſolo retinetur, & [k] Poſſeſſio animo ſolo amitti poteſt, quamvis acquiri non poteſt, unde [l] Poſſeſſio recedit ut quiſq; conſtituit ſe nolle poſſidere. Deniq; [m] Pro poſſidente habetur qui dolo deſiit poſſidere, & [n] Bona fides tantum præſtat poſſidenti quantum veritas, quando Lex impedimento non eſt. In cauſis vero ex quibus poſſidetur prima & potiſſima eſt cauſa Dominii, ex quâ res ipſa habetur. [o] Duorum verò in ſolidum dominium eſſe non poteſt, & [p] Dominium non poteſt niſi ex unâ causâ contingere, unde [q] Quod proprium eſt alicujus amplius ejus fieri non poteſt. Plures autem modi ſunt quibus dominium acquiritur, quorum primus eſt Occupatio, quia [r] Dominium rerum ex naturali poſſeſſione cæpit. Etenim [ſ] Quod nullius eſt id occupanti conceditur, unde [t] Omnia quæ terrâ, mari, cœlo capiuntur, id eſt, feræ, beſtiæ, volucres, & piſces, fiunt capientium. Item [u] omnia quæ in littore maris inveniuntur fiunt inventoris, & [x] Theſaurus qui eſt vetus quædam depoſitio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat, fit ejus qui invenerit, quòd non alterius ſit. Alius acquirendi Dominii modus eſt Acceſſio, cum quid ex re noſtrâ provenit, vel rei noſtræ accreſcit, ita [y] Meum eſt quod ex re meâ ſupereſt, & [z] Noſtra ſunt quæ ex animalibus dominio noſtro ſubjectis nata ſunt, & [a] Naturali ratione placuit fructus, quos quis bonâ fide percepit, eius eſſe pro culturâ & curâ. Hinc etiam, [b] Quod per Alluvionem agro noſtro flumen adjicit jure gentium nobis acquiritur, & [c] Alluvio eſt incrementum latens, & per Alluvionem id videtur adjici, quod ita paulatim adjicitur, ut intelligere non poſſimus quantum quoquo momento temporis adjicitur. Hinc deniq; [d] Omne quod ſolo inædificatur ſolo cedit, & [e] Plantæ quæ terræ coaleſcunt ſolo cedunt, & [f] Frumenta quæ ſata ſunt ſolo cedere intelliguntur. Modi quibus amittitur vel transfertur Dominium (præter eos qui ad contractus pertinent) ſunt Donatio, & ceſſio; [g] Donari videtur quod nullo jure cogente conceditur. Donatio verò ex ſolâ traditione

[k] D.41.2.3.6.
[l] D.41.2.17.
[m] D.50.17. 130.
[n] D.50.17. 136.
[o] D.13.6.5. 15.
[p] D.41.2.3.4.
[q] l.2.20.10.
[r] D.41.2.1.
[ſ] D.41.1.1.3.
[t] D.41.1.1.
[u] l.2.1.18.
[x] D.41.1.31.
[y] D.6.1.49.
[z] D.41.1.6.
[a] l.2.1.35.
[b] D.41.1.7.
[c] D.1.2.1.21.
[d] D.41.1.7. 10.
[e] D.41.1.9.
[f] D.41.1.9.
[g] D.50.17. 182.

ditione non procedit. Quia [h] Nunquam nuda traditio transfert rei dominium; Sed [i] Cùm res est apud alium, sufficit nuda voluntas ad transferendum; Et [k] Quoties dominium transfertur ad alium; tale transfertur quale fuit apud eum qui tradit. Vnde, [l] Dominium transferre non potest qui ipse dominus non est, [m] Cui verò jus est donandi, eidem & vendendi jus est, & [n] Qui donare non potest non potest donationis causa consentire. Cessio est, primùm cum quis rei Dominio cedit, vel rem pro derelicto habet. [o] Pro derelicto autem habetur quod dominus eâ mente abjecit, ut id in numero rerum suarum esse nolit, & [p] Si rem pro derelictâ habitam quis occupaverit, statim dominus efficitur. Deinde cedi videtur quod neglectum usucapienti permittitur, Est enim [q] Vsucapio adjectio dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti, & [r] Res mobiles triennio, Immobiles longi temporis possessione ab iis qui bonâ fide acceperunt usucapiuntur, [s] Longum autem tempus inter præsentes decennio, inter absentes viginti annis definitur. Et [t] Bono publico introducta est usucapio, ne quarundam rerum diu, & ferè semper incerta dominia essent, cùm sufficiat dominis ad inquirendas res suas statuti temporis spatium. [u] Rem verò suam non alienat, qui duntaxat amittit possessionem.

b D.41.1.31.
i D.41.1.31.3.
k D.41.1.2.
l D.9.4.27.
m D.50.17.163.
n D.50.17.165.
o I.2.1.47.
p I.2.1.47.
q D.41.3.3.
r I.2.6.1.
s I.2.6.1.
t I.2.6.1.
u D.50.17.119.

SECT. 6.

De Iure usus sive servitutis.

Ius Vsus sive Servitutis est potestas re alienâ utendi, & vel Personalis est, quæ Personæ debetur, ut Vsusfructus, quo omnia rei Emolumenta continentur, & Nudus usus qui ad quotidianum usum competit: vel Realis quæ Rei debetur, cùm Vrbana, quæ Prædio urbano competit, ut Ius stillicidii, Ius luminis, Ius tigni immittendi, & similia, tùm Rustica quæ Prædio rustico debetur, ut Iter

ſive jus eundi, Actus ſive jus agendi, Via ſive jus vehendi, & ſimilia. Ius uſus ſive Servitutis Conceſsione, & Præſcriptione conſtituitur. Conceſsio eſt cùm quis conſenſu expreſſo alteri re ſuâ utendi poteſtatem facit, vel à Re ſuâ rei alterius ſervitutem imponit. Præſcriptio eſt, cum quis ex conſenſu tacito, diuturno & frequenti uſu, jus alterius rei utendæ acquirit. Servitus ceſſat, cum Reconceditur, vel Extinguitur: Reconceditur cum quis Expreſſe Remittendo, vel Tacitè Omittendo, rem ſervientem in priſtina libertate reponit. Extinguitur Conſolidatione, cum is cuius perſonæ ſervitus debetur fit dominus rei in quâ ſervitutem habuit; & Confuſione, cum idem prædii ſervientis, & prædii cui ſervitus debetur dominus evadit.

Secundò, res poſſidentur ex cauſa uſus, ſive Servitutis. Nam & [a] uſus Rei à Proprietate ſeparatus, Poſſeſſio dicitur. [b] Servitutum verò ea natura eſt, ut non aliquid faciat quis, ſed ut aliquid patiatur, aut non faciat. Et ſemper ſervitus à re aliena debetur, quia [c] Res ſua nemini ſerviet, & prima inter ſervitutes perſonales eſt [d] Vſusfructus, qui eſt jus alienis rebus utendi, fruendi, ſalvâ rerum ſubſtantiâ. Et [e] Vſusfructus pro parte indivisâ vel diviſa conſtitui poteſt; Et [f] Vſufructuarius vel ipſe re frui vel alii fruendum concedere, vel locare poteſt, Quod [g] ſi vſusfructus fundi ſit conceſſus, quicquid in fundo naſcitur, quicquid inde percipi poteſt ipſius fructus eſt, [h] Vſufructuarius tamen boni viri arbitratu fundo frui debet, nam & cogi poteſt eum rectè colere. Sed & [i] uſufructuarius debet omne quod diligens Paterfamiliâs in domo ſuâ facit, & ipſe facere. Quum & [k] Modica refectio ad uſufructuarium pertinet, hactenus ut ædificia ſarta tecta habeat. Deniq; [l] fructuarius cauſam proprietatis deteriorem facere non debet, meliorem facere poteſt. [m] Nudus uſus eſt uſus ſine fructu, nam [n] Fructus ſine uſu eſſe non poteſt, uſus ſine fructu poteſt. Vnde [o] Minus juris eſt in uſu

a D.50.16. 115.
b D.8.1.15.
c D.8.2.26.
d D. 7.1.1.
e D.7.1.5.
f D.7.1.12.
g D.7.1.9.
h D.7.1.9.
i D.7.1.65.
k D 7.1.7.2.
l D.7.1.13.4.
m D.7.8.1.
n D.7.8.14.
o D.7.8.11.

usu quam in usufructu, nam [p] Qui nudum usum habet, nihil ulterius habere intelligitur, quam ut usu quotidiano utatur, nec alicui jus quod habet aut vendere aut concedere potest. Deniq; [q] usus pars concedi non potest, nam frui quidem pro parte possumus, uti pro parte non possumus. Realis servitus est quæ prædio urbano, vel rustico debetur; [r] Vrbana prædia sunt omnia ædificia, quia urbanum prædium non locus facit, sed materia, & [s] Vrbanorum prædiorum servitutes sunt, quæ ædificiis inhærent, veluti ut in parietem tignum immittere liceat, ut stillicidium quis recipiat in ædes suas, vel in aream, nec altius quis tollat ædes ne vicini luminibus officiat. [t] Rusticum prædium fundus est, & rusticorum prædiorum servitutes Iter, Actus, Via, Aquæductus & similia. [u] Iter habet latitudinem duorum, aut trium pedum, Actus quatuor, Via in porrectum octo, in anfractum sedecem. Constituitur servitus ex consensu expresso, vel tacito ejus cujus res servit, ita [x] Usus fructus & aliæ pactionibus, [y] Servitutes reales Præscriptione longi, vel longissimi temporis constituuntur. Longi temporis præscriptio est usus decem annorum inter præsentes, inter absentes viginti, & [z] bonam fidem possidentis & [a] scientiam adversarii requirit: [b] Præscriptio longissimi temporis est usus triginta, vel quadraginta annorum, & procedit absq; scientia adversarii & absq; bonâ fide. [c] Iter, Actus, Via, Aquæductus, iisdem modis constituuntur, quibus usus fructus, & [d] Licet Servitutes prædiorum incorporales sint, nec certam continuamq; possessionem habeant, & ideo usu non capiantur, utilitatis tamen causa receptum est, ut tempore & diuturno usu acquirantur. Deniq; cessat servitus (præterquam interitu personarum & rerum) reconcessione, nam [e] Servitus donatione tollitur, & Omissione, quia [f] Placet usufructum non utendo amitti, & [g] Quibus modis usufructus finitur, iisdem nudus usus finiri solet. Sed & [h] Iura urbanorum prædiorum similiter, ut rusticorum quoq; prædiorum, certo tempore non utendo pereunt, nisi quòd hæc dissi-

[p] D.7.8.11.
[q] D.7.8.19.
[r] D.50. 16. 198.
[s] I.2. 3.2.
[t] I.2.3.1.
[u] D.8.3.8.
[x] D.7.1.2.
[y] C.7.33.12.
[z] C.7.33.6.
[a] C.3. 34.2.
[b] C.7.39.8.
[c] D.8.1. 5.
[d] D.8.1. 14.
[e] D.8.4.17.
[f] D.7.4.25.
[g] D.7.1.3.
[h] D. 8.2.6.

sive jus eundi, Actus sive jus agendi, Via sive jus vehendi, & similia. Ius usus sive Servitutis Concessione, & Præscriptione constituitur. Concessio est cùm quis consensu expresso alteri re suâ utendi potestatem facit, vel à Re suâ rei alterius servitutem imponit. Præscriptio est, cum quis ex consensu tacito, diuturno & frequenti usu, jus alterius rei utendæ acquirit. Servitus cessat, cum Reconceditur, vel Extinguitur: Reconceditur cum quis Expresse Remittendo, vel Tacitè Omittendo, rem servientem in pristina libertate reponit. Extinguitur Consolidatione, cum is cuius personæ servitus debetur fit dominus rei in quâ servitutem habuit; & Confusione, cum idem prædii servientis, & prædii cui servitus debetur dominus evadit.

Secundò, res possidentur ex causa usus, sive Servitutis. Nam & [a] usus Rei à Proprietate separatus, Possessio dicitur. [b] Servitutum verò ea natura est, ut non aliquid faciat quis, sed ut aliquid patiatur, aut non faciat. Et semper servitus à re aliena debetur, quia [c] Res sua nemini serviet, & prima inter servitutes personales est [d] Vsusfructus, qui est jus alienis rebus utendi, fruendi, salvâ rerum substantiâ. Et [e] Vsusfructus pro parte indivisâ vel divisa constitui potest; Et [f] Vsufructuarius vel ipse re frui vel alii fruendum concedere, vel locare potest, Quod [g] si vsusfructus fundi sit concessus, quicquid in fundo nascitur, quicquid inde percipi potest ipsius fructus est, [h] Vsufructuarius tamen boni viri arbitratu fundo frui debet, nam & cogi potest eum rectè colere. Sed & [i] usufructuarius debet omne quod diligens Paterfamiliâs in domo suâ facit, & ipse facere. Quum & [k] Modica refectio ad usufructuarium pertinet, hactenus ut ædificia sarta tecta habeat. Deniq; [l] fructuarius causam proprietatis deteriorem facere non debet, meliorem facere potest. [m] Nudus usus est usus sine fructu, nam [n] Fructus sine usu esse non potest, usus sine fructu potest. Vnde [o] Minus juris est in usu

a D.50.16. 115.
b D.8.1.15.
c D.8.2.26.
d D. 7.1.1.
e D.7.1.5.
f D.7.1.12.
g D.7.1.9.
h D.7.1.9.
i D.7.1.65.
k D 7.1.7.2.
l D.7.1.13.4.
m D.7.8.1.
n D.7.8.14.
o D.7.8.11.

usu quam in usufructu, nam [p] Qui nudum usum habet, nihil ulterius habere intelligitur, quam ut usu quotidiano utatur, nec alicui jus quod habet aut vendere aut concedere potest. Deniq; [q] usus pars concedi non potest, nam frui quidem pro parte possumus, uti pro parte non possumus. Realis servitus est quæ prædio urbano, vel rustico debetur; [r] Vrbana prædia sunt omnia ædificia, quia urbanum prædium non locus facit, sed materia, & [s] Vrbanorum prædiorum servitutes sunt, quæ ædificiis inhærent, veluti ut in parietem tignum immittere liceat, ut stillicidium quis recipiat in ædes suas, vel in aream, nec altius quis tollat ædes ne vicini luminibus officiat. [t] Rusticum prædium fundus est, & rusticorum prædiorum servitutes Iter, Actus, Via, Aquæductus & similia. [u] Iter habet latitudinem duorum, aut trium pedum, Actus quatuor, Via in porrectum octo, in anfractum sedecem. Constituitur servitus ex consensu expresso, vel tacito ejus cujus res servit, ita [x] Vsus fructus & aliæ pactionibus, [y] Servitutes reales Præscriptione longi, vel longissimi temporis constituuntur. Longi temporis præscriptio est usus decem annorum inter præsentes, inter absentes viginti, & [z] bonam fidem possidentis & [a] scientiam adversarii requirit: [b] Præscriptio longissimi temporis est usus triginta, vel quadraginta annorum, & procedit absq; scientia adversarii & absq; bonâ fide. [c] Iter, Actus, Via, Aquæductus, iisdem modis constituuntur, quibus usus fructus, & [d] Licet Servitutes prædiorum incorporales sint, nec certam continuamq; possessionem habeant, & ideo usu non capiantur, utilitatis tamen causa receptum est, ut tempore & diuturno usu acquirantur. Deniq; cessat servitus (præterquam interitu personarum & rerum) reconcessione, nam [e] Servitus donatione tollitur, & Omissione, quia [f] Placet usufructum non utendo amitti, & [g] Quibus modis usufructus finitur, iisdem nudus usus finiri solet. Sed & [h] Iura urbanorum prædiorum similiter, ut rusticorum quoq; prædiorum, certo tempore non utendo pereunt, nisi quòd hæc dissi-

p D.7.8.11.
q D.7.8.19.
r D.50.16. 198.
s I.2.3.2.
t I.2.3.1.
u D.8.3.8.
x D.7.1.2.
y C.7.33.12.
z C.7.33.6.
a C.3.34.2.
b C.7.39.8.
c D.8.1.5.
d D.8.1.14.
e D.8.4.17.
f D.7.4.25.
g D.7.1.3.
h D.8.2.6.

dissimilitudo sit quòd non omnino pereunt non utendo, sed ita si vicinus simul libertatem usu capiat. Vlteriùs, servitus personalis consolidatione extinguitur, ita Iureconsultus. [i] Finitur ususfructus si domino proprietatis ab usufructuario cedatur, vel si usufructuarius proprietatem rei acquisierit, quæ res consolidatio appellatur, quemadmodum servitus Realis Confusio. De qua Iureconsultus [k] Confusione tollitur servitus.

i D.7.4.17.

k D.8.2.30.

SECT. 7.

De Iure Patrimonii.

Ius Patrimonii est, ex quo quis in universitate Bonorum arbitrium habet, & procedit præcipuè à Peculio, & Dote. Peculium est, quod filius familiâs à paternis rationibus seorsim habet; Dos est quod marito cum uxore ad sustinendum onera matrimonii tribuitur. Transfertur Patrimonium Testamento, & Successione ab intestato; Testamentum est suprema hominis dispositio, qua in universis bonis hæres instituitur, aliqua ab hærede aliis legantur, vel aliàs fieri præcipiuntur. Successio ab intestato, est dispositio legis, qua cum quis sine Testamento moritur, sanguine proximi, id est, primò liberi, deinde Agnati, deniq; Cognati hæredes constituuntur.

PAtrimonium constat universis bonis Patrisfamiliâs, & præter modos quibus jus in rebus singulis acquiritur, & minuitur, alios habet magis generales, ex quibus conflatur & dissolvitur. In modis ex quibus conflatur Patrimonium, Peculium, & Dos præcipui sunt. [a] Peculium est, quod Patris permissu filiusfamiliâs à paternis rationibus separatum habet. Sic dictum quasi [b] pusilla pecunia, vel pusillum patrimonium, vel [c] filii patrimonium: & [d] consistit Peculium ex eo quod Parsimoniâ suâ quis paravit, vel à quolibet sibi donari officie meruit, [e] in quo usumfructum

a D.15.1.5.

b D.15.1.5.
c I.4.6.10.
d D.15.1.39.
e C.6.61.6.

ctum quidem patri acquirit, dominium autem apud eum remanet, ne quod ei suis laboribus, vel propriâ fortunâ accesserit, hoc in alium proveniens, ei luctuosum procedat.

Alia patrimonii origo est à Dote, Nam quemadmodum peculium filii, ita [f] Filiæ Dos est proprium patrimonium, quæ licet Marito tradatur, ad sustinendum onera matrimonii, in dominio mulieris manet; ita Iureconsultus, [g] Quamvis in bonis mariti Dos sit, mulieris tamen manet. [h] Dotis tantum fructum ad maritum pertinere æquitas suggerit; cùm enim ipse onera matrimonii subeat, æquum est eum etiam fructus percipere. Et [i] Soluto matrimonio, Dos mulieri aut ejus hæredi solvi debet; [k] Quod si matrimonium culpâ mulieris dissolutum probetur, mulieris culpa est mulctanda, scilicet amissione Dotis, [l] Paternum verò est officium dotem pro suâ progenie dare, & proinde, [m] Si parentes filias nubere prohibuerint, vel dotem dare nolint, cogentur in matrimonium collocare, & dotare. Et [n] Dotis quantitas pro modo facultatum patris, & dignitate mariti constitui debet. [o] Interest enim Reipub. mulieres dotes habere propter quas nubere possint.

Deinde transfertur Patrimonium, Dispositione hominis, Testamento: vel dispositione Legis, successione ab intestato. [p] Testamentum est voluntatis nostræ justa sententia de eo quod quis post mortem fieri velit, quæ dispositio à legibus Duodecem Tabularum descendit, quibus præcipitur. [q] Vti quisq; rei suæ legassit ita jus esto; & rationi maximè convenit, nam [r] Nihil est quod hominibus magis debetur quàm ut supremæ voluntatis, postquam aliud jam velle non possint, liber sit stylus, & licitum quod non iterum redit arbitrium. At [s] Nullæ sunt tabulæ testamenti, quæ is facit qui testamenti faciendi jus non habet, [t] In eo verò qui testatur, ejus temporis quo testamentum facit integritas mentis, non sanitas corporis exigenda est, Testamentum autem præcipue pendet à voluntate Testatoris

f D. 4.4.35.
g D.23.3.75.
h D.23.3.7.
i D.25.1.2.
k D.25.1.38.
l C.5.11.6.
m D.23.2.19.
n D.23.3.69. 4.
o D.25.1.1.
p D.28.1.1.
q 12. tab.
r C.1.2.1.
s D.28.1.19.
t D.28.1.2.

toris; nam [u] Voluntas facit ut in testamento scriptum valeat; & voluntas propria testatoris, cum [x] Testamentorum jura per se firma esse oportet, non ex alieno arbitrio pendere; nec tamen voluntas sola sufficit, quòd [y] Nudâ voluntate non constituitur Testamentum; Itaq; [z] Testes adhiberi debent, cum quibus testamenti factio est. Deinde Testamentum præcipue constat hæredis institutione, & Legatis; estq; hæredis institutio, Designatio successoris in universis bonis. Ita enim [a] Hæreditas definitur, successio in universum jus quod defunctus habuit; cujusmodi institutio est testamenti fundamentum, quod [b] sine hæredis institutione nihil in testamento scriptum valet. Et [c] Liberi à parentibus necessario sunt instituendi; nec licet parenti aliquem ex liberis exhæredare, vel præterire, nisi is probetur ingratus, & ingratitudinis causâ nominatim inferatur testamento, quæ & lege comprobari debet. Sed [d] Et unum hominem, vel plures quot quis velit hæredes facere licet; Et [e] Hæres purè & sub conditione institui potest: ex certo tempore aut ad certum tempus hæres institui non potest, & [f] Quæ ab initio inutilis fuit institutio, non potest ex postfacto convalescere. [g] Legatum est delibatio hæreditatis, quâ testator ex eo quod universum hæredis foret, alicui quid collatum velit. Quod [h] si in nomine Legatarii testator erraverit, cum de personâ constat, legatum valet. Et [i] Falsa demonstratio neq; hæredi neq; Legatario nocet. Et [k] Falsum causam legato non obesse verum est; quia ratio legandi legato non cohæret. Testamentum deniq; prius posteriore infirmatur. Quod [l] suprema voluntas potior habetur, cum nemo eam legem sibi potest dicere, ut à priore voluntate ei recedere non liceat. Et [m] Ambulatoria est voluntas usq; ad supremum vitæ exitum. Irrita verò sunt in testamento quæ sibi vel legibus adversantur; quippe [n] Vbi pugnantia in testamento jubentur, neutrum ratum est; Et [o] Nemo potest in testamento suo cavere ne leges in eo locum habeant; Secundò si quis sine testamento decedit, ei hæres à Legibus subro-

[u] D 30.1 12.
[x] D.28,5.32.
[y] D.37. 11. 11.
[z] I.2. 10.6.
[a] D.50.17. 62.
[b] D.28,6.1.
[c] Nov.115.3.
[d] I.2.14.4.
[e] I.2.14.9.
[f] D.50.17. 210.
[g] D.30.1. 116.
[h] I.2.20.9.
[i] D.35.1.33.
[k] D 35.1.27. 6.
[l] D.32.1.22.
[m] D.34.4.4.
[n] D.50.17. 188.
[o] D.50.17. 73.

subrogatur; [p] quia defunctorum interest habere successores, at [q] Quamdiu potest valere testamentum, tamdiu legitimus hæres non admittitur. Et primò [r] Intestatorum hæreditates, ad suos hæredes, id est Liberos, & Nepotes pertinent; immò [s] Morte parentis liberis quasi continuatur dominium, &, si [t] exiſtat filius, & nepos ex filio, qui proximior est ulteriorem non excludit; æquum enim videtur Nepotes in locum patris succedere, [u] Si nemo Suus hæres existat, ad agnatum proximum hæreditas pertinet; nam [x] Commodiùs videbatur ita jura constitui, ut plerumq; hæreditates ad masculos confluerent, [y] Si plures agnati sunt ejusdem gradus, omnes admittuntur; Si plures sint gradus agnatorum, lex apertè proximum vocat. [z] Post Suos hæredes, & Agnatos proximos, Cognatos ad successionem Prætor vocat.

Hæc etiam de jure Possessionis privatæ.

p D. 11. 1. 6.
q D. 50. 17. 89.
r I. 3. 1. 1.
s I. 3. 1. 3.
t I. 3. 1. 6.
u I. 3. 2.
x I. 3. 2.
y I. 3. 2. 3.
z I. 3. 5. 1.

SECT. 8.

De Iure obligationis, & de Iure Contractûs.

Ius obligationis est ex quo quis in alterius personam potestatem habet, nimirum ut ipsius causâ aliquid agere, aut facere teneatur; idq; ratione Contractûs, Delicti, vel Officii.

Ius vel obligatio Contractûs est, ex quo quis ob conventionem cum causa initam ad debitum præstandum alicui obligatur, cujusmodi contractus vel rei traditione, vel solo consensu, vel Verbis certis conciliatur. Rei traditione contrahitur Mutuum, quo dominium rei alicujus transfertur, ut qui accepit, rem aliam eiusdem generis reddat; Commodatum, quo ipsius rei conceditur usus qui accepit rem eandem numero restituat; Depositum quo rei Custodia alicui committitur ut res eadem retra-

datur; Pignus quo ex re aliqua Cautio alicui constituitur, ut in eo de quo cautum est præstito, res libera ad dominum redeat. Consensu solo contrahitur, Emptio, quâ de dominio Rei propter pretium; Locatio, quâ de usu propter mercedem, transferendo agitur; Societas, quâ de Lucro, & damno in Negotiatione communicando; Mandatum, quo de opera impendenda, & impendentem indemnem servando convenitur. Verbis deniq; conciliatur, Stipulatio, quæ solenni interrogatione & responsione constat; & Chirographum quod scripto expeditur. Obligatio, vel ius contractûs, Solutione, & liberatione tollitur; Solutio est cùm debitum, id scilicet de quo in singulis contractibus convenit, præstatur; Liberatio est cùm is cui quid debetur, vel gratis acceptum fert, vel cum alio debito compensari patitur.

PRæter jus quod personis ipsis inhæret & quod in rebus habetur, jus etiam in alias Personas competit, quod Obligatio dicitur, & definitur [a] Obligatio, juris vinculum quo necessitate astringimur alicujus rei solvendæ; & [b] Obligationum natura non in eo consistit ut aliquod corpus, aut servitutem nostram faciat, sed ut alium nobis obstringat ad dandum aliquid, vel faciendum, vel præstandum. [c] Impossibilium verò nulla est Obligatio.

Causæ ex quibus oritur obligatio, sunt Contractus, Delictum, & officium. [d] Contractus est ultrò citrò; obligatio, quam Græci συνάλλαγμα vocant, id est conventio quæ ob aliquam causam, obligationem ùtrinq; parit; [e] Conventionis enim verbum generale est, ad omnia pertinens de quibus negotii contrahendi, transigendíve causâ consentiunt, qui inter se agunt: nec ullus est contractus qui in se conventionem non habeat; Conventio verò quæ non ex causâ procedit, Nudum pactum dicitur, & definitur [f] Pactum, duorum pluriúmve in idem placitum consensus sive conventio; cujus, etsi non idem qui contractûs, aliquis tamen est effectus; nam quamvis [g] Nuda pactio

a I.3.14.1.
b D.44.7.3.
c D.50.17.185.
d D.50.16.19.
e D.2.14.1.
f D.2.14.1. & 3.
g D.2.14.7.4.

ctio obligationem non parit, exceptionem parit, & cùm contractibus adjicitur omninò obſervari debet. [h] Quid enim tam congruum eſt humanæ fidei, quàm ea quæ inter aliquos placuerunt ſervare? modo Pacta bonis moribus & legibus non repugnent, quod [i] Pacta quæ turpem cauſam continent non ſunt obſervanda; ſed & [k] Contra juris civilis regulas pacta conventa rata non habentur; quia [l] Ius publicum privatorum pactis mutari non poteſt. In contractibus verò qui Obligationem pariunt, obſervandæ ſunt primò Perſonæ; nam [m] Qui cum alio contrahit non debet eſſe ignarus conditionis ejus cum quo contrahit; Deinde intentio; cùm [n] In Conventionibus contrahentium voluntatem potiùs quàm verba ſpectari placuit; Tertiò & tempus, & Occaſio, quod [o] Vniuſcujuſq; contractûs initium ſpectandum eſt, & cauſa; & [p] In ſingulis contractibus hoc ſervabitur, quod initio convenit; Quartò, Mos Regionis, aut id quod minimum; quippe [q] In contractibus id ſequimur quod actum eſt, & ſi id non appareat, erit conſequens ut id ſequamur quod in regione in quâ actum eſt frequentatur, quòd ſi neq; regionis mos appareat quia varius fuit, ad id quod minimum eſt redigenda ſumma eſt.

Inter Contractus primò occurrunt qui rei interventu perficiuntur, & in his [r] Mutuum, quod ita dicitur quia ita à me tibi datur, ut ex meo tuum fiat; & [s] Mutui datio in iis rebus conſiſtit, quæ pondere; numero, vel menſura conſtant. [t] Mutuum autem damus recepturi non eandem ſpeciem quam dedimus, ſed idem genus; & quamvis [t] Cum mutuum damus non cavemus ut æquè bonum nobis reddatur, non licet debitori rem deteriorem reddere. Secundò, Commodatum; & [u] Commodata res intelligitur ſi nulla mercede acceptâ, vel conſtitutâ, res tibi utenda data eſt, nam [x] Gratuitum debet eſſe commodatũ; & [y] Nemo commodando rem facit ejus cui commodatur; [z] Sicut autem voluntatis, & officii magis quam neceſſitatis eſt commodare, ita modum commodati finemq; præſcribere, ejus eſt, qui beneficium tribuit; cùm autem id fecit, intempeſtivè

h D.2.14.1.
i D.2.14.27.4.
k D.2.14.28.
l D.2.14.38.
m D.50.17.19.
n D.50.17.219.
o D.17.1.8.
p D.50.17.23.
q D.50.17.34.
r I.3.15.1.
s I.3.15.1.
t D.12.1.2.
t D.12.1.3.
u I.3.15.
x I.3.15.
y D.13.6.9.
z D.13.6.17.

tempestivè usum commodatæ rei auferre, non officium tantùm impedit, sed & inter dandum accipiendúmq; obligatio. Tertiò, [a] Depositum est quod custodiendum alicui datum est, [b] Is apud quem res aliqua deponitur de eâ re quam accepit restituendâ tenetur, nisi sit prædo qui deposuit; nam [c] Non est ex bonâ fide rem prædoni restituere, quia Iustitia suum cuiq; ita tribuit, ut non distrahatur ab ullius alterius justiore repetitione; Quartò, [d] Pignus datur gratiâ Debitoris quo magis pecunia ei credatur, & Creditoris quo magis ei in tuto sit creditum; nam [e] Plus cautionis in re est quàm in personâ; Sed [f] Res litigiosa pignori dari non potest: [g] Pignus autem manente proprietate debitoris, solam possessionem transfert ad creditorem, & re pluribus oppignoratâ, [h] Cum de pignore contenditur, potior est jure qui prior est tempore; & [i] Creditor qui permittit rem vænire, pignus dimittit.

Secundum genus Contractuũ est eorum qui solo Consensu constant, veluti, 1° [k] Emptio & venditio quæ contrahitur, simulatq; de pretio convenerit, & [l] Pretium in numerata pecunia consistere debet, & [m] in Pretio Emptionis & venditionis licet contrahentibus se circumvenire; peractâ verò venditione [n] Periculum rei venditæ statim pertinet ad Emptorem, 2° [o] Locatio & conductio contrahi intelligitur, si de mercede convenerit, at [p] Non solet Locatio dominium mutare; & [q] Conductor omnia secundum legem conductionis facere debet, Et si quid in lege conductionis prætermissum fuerit id ex bono & æquo præstari debet. 3° [r] Societas quodammodo jus Fraternitatis in se habet, in quâ [s] Æquum est ut cujus quis participaverit lucrum, eius participet & damnum, & [t] non id quod privatim interest unius ex sociis servari solet, sed quod societati expedit. [u] Nemo tamen societatem contrahendo rei suæ dominus esse desinit; & [y] Socii mei socius, socius meus non est, sed & [z] Rerum inhonestarum nulla est societas, unde [a] Quod ex furto vel maleficio quæsitum est in societatem non confertur; quia delictorum turpis atq;

a D.16.3.1.
b I.3.15.
c D.16.3.31.
d I.3.15.
e D.50.17.25.
f D.20.3.1.
g D.3.7.35.
h C.8.18.2.
i D.50.17.156.
k I.3.24.
l I.3.24.2.
m D.4.4.16.4.
n I.3.24.3.
o D.19.2.2.
p D.19.2.39.
q I.3.29.
r D.17.2.36.
s D.17.2.55.
t D.17.2.65.
u D.19.5.13.
y D.17.2.20.
z 17.2.57.
a 17.2.53.

atq; fœda est communicatio. 4° Mandatum est quo negotium aliquod gerendum committitur, & [b] Mandàtum, nisi gratuitum sit, nullum est, nec tamen damnosùm esse debet, quia [c] Nemini officium suum, quod alterius, non sui commodi causâ gestum est, damnosùm esse debet; ab eo verò qui suscipit, [d] Mandati fines diligenter sunt custodiendi, & Quoties certum mandatum est, recedi à formâ non debet, [e] Rei verò turpis nullum est mandatum. Nec eadem consilii quæ mandati vis est; unde [f] Consilii non fraudulenti nulla est obligatio. Tertium genus contractuum est eorum qui verbis concipiuntur, quales sunt stipulationes & Chirographa. [g] Stipulatio, est verborum conceptio, quibus is qui interrogatur se daturum facturúmve quod interrogatus est, respondet; & notandum quod [h] Nemo rem suam utiliter stipulatur, & [i] Alteri stipulari nemo potest, & [k] Nemo promittendo alienum factum obligatur. At [l] Difficultas præstationis stipulationem inutilem non facit. In stipulationibus Fidejussores plerumq; interveniunt. [m] Ita Fidejussor est qui pro eo qui promittit alii obligatur; [n] Fidejussores autem ita obligari non possunt, ut plus debeant quàm debet is pro quo obligantur. Nam eorum obligatio est accessio principalis obligationis, nec plus in accessione potest esse quam in principali. Chirographo deniq; vel scripturâ contrahitur obligatio, cùm quis literis vel syngraphâ fatetur ex hac vel illâ causâ se alteri debere; in quo [o] si librarius in transcribendo verbis erravit, nihil nocet quo minùs & reus, & fidejussor teneatur, & [p] Fiunt de Contractibus scripturæ, ut quod actum est facilius probari possit, sed & sine his valet quod actum est, si probationem habeat. Tollitur obligatio solutione quæ à Debitore procedit, & liberatione quæ magis est à Creditore; primò [q] Tollitur obligatio solutione ejus quod debetur, & [r] Prout quidq; contractum est, ita solvi debet; itaq; [s] Reproba pecunia solventem non liberat; & [t] Qui decem debet, partem solvendo in parte tantùm obligationis liberatur. [u] Is qui certo loco dare promittit, nullo

[b] D. 17. 1. 1.
[c] D. 47. 2. 62.
[d] D. 17. 1. 5.
[e] D. 17. 1. 6. 3.
[f] D. 50. 17 47.
[g] D. 45. 1. 5.
[h] D. 45. 1. 82.
[i] D. 45. 1. 38.
[k] D. 45. 1. 38.
[l] D. 45. 1. 2.
[m] I. 3. 21.
[n] I. 3. 21.
[o] D. 50. 17. 92.
[p] D. 22. 4. 4.
[q] I. 3. 30.
[r] D. 46. 3. 80.
[s] D. 13. 7. 24.
[t] D. 46. 3. 9.
[u] D. 13. 4. 9.

lo alio loco quàm in quo promiſit ſolvere invito ſtipulatore poteſt; ſecùs eſt de tempore, quod in favorem Debitoris adjicitur. Nam [x] Quod certo die promiſſum eſt, vel ſtatim dari poteſt; totum enim medium tempus ad ſolvendum promiſſori liberum relinqui intelligitur; ita [y] cùm illa aut illa res promittitur, rei electio eſt, utrum præſtet. Liberatio eſt etiam cùm abſq; ſolutione ejus quod debetur obligatio tollitur, utpotè Acceptilatione, & Compenſatione. [z] Acceptilatio eſt imaginaria ſolutio, cùm debitori creditor quod debetur acceptum fert; & purè fieri debet, Nam [a] Acceptilatio ſub conditione fieri non poteſt; & [b] In diem facta Acceptilatio nullius eſt momenti, cùm ſolutionis exemplo ſoleat liberare. [c] Compenſatio eſt debiti & crediti inter ſe contributio, & nihil intereſt quis ſolverit an compenſaverit; & ideò [d] Compenſatio neceſſaria, quia intereſt noſtrâ non ſolvere potiùs, quàm ſolutum repetere, [e] Creditor autem compenſare non cogitur quod alii quàm debitori ſuo debet, quamvis creditor ejus pro eo qui convenitur ob debitum proprium velit compenſare, Deniq; [f] Ita compenſationes poſſunt objici, ſi cauſa ex quâ compenſatur liquida ſit, & non multis ambagibus innodata.

x D.46.3.70.
y D.23.3.10.
z I.3.30.
a D.46.4.4.
b D.46.4.5.
c D.16.2.1.
d D.16.2.3.
e D.16.2.18.
f C.4.31.14.

SECT. 9.

De Iure Delicti.

Ius vel Obligatio delicti eſt ex quo quis ob læſionem alteri illatam ad Pœnam tenetur. Cujuſmodi delictum committitur Injuriâ, Furto, & Damno. Injuria eſt cùm alicujus perſonæ dolor vel dedecus infertur. Furtum eſt cùm è bonis aliquid ſurripitur. Damnum eſt cùm res alicujus deterioratur. Tollitur Obligatio delicti pœnâ præſtitâ, & Remiſſione partis: Pœna præſtatur, cùm quis ultra id in quo alium læſit, ipſe in aliquo plectitur, Remiſſio partis eſt, cùm is qui læſus eſt ad animum non revo-

revocat, vel cum eo qui læsit in gratiam redit.

EX Contractu qui cum Volente fit se quis obligat, ex Delicto quod cum invito intercedit, jure obligatur, Idem verò sunt delictum, Noxa, & Maleficium; nam [a] Noxæ appellatione omne delictum continetur; in quo voluntas delinquendi perpenditur, nam [b] Maleficia voluntas, & propositum delinquentis distinguit, quod etiam ex postfacto colligi potest, unde [c] In Maleficio ratihabitio mandato comparatur. In Delictis primum est Injuria quæ in personam infertur, cùm alicujus corpus vel æstimatio læditur. [d] Injuria enim est Contumelia, & fit, re, vel verbis: Re quoties manus inferuntur, Verbis quoties convicium fit, & [e] Aut per semetipsum alicui fit injuria, aut per alias personas, spectat enim ad nos injuria quæ eis fit qui potestati nostræ, vel affectui subjecti sunt. Sed & [f] si defuncti cadaveri fiat injuria, vel ejus fama lacessatur, hæredis interest defuncti existimationem purgare. Etiam [g] Injuria committitur si quis matremfamiliâs affectatus fuerit, sive ejus pudicitia attentatur. [h] Adsectatur qui tacitus frequentèr sequitur, assidua enim frequentia præbet nonnullam infamiam. [i] Attentari pudicitia dicitur, cùm id agitur, ut ex pudicâ impudica fiat. [k] Convicium est vociferatio vel prolatio vocis, quæ contra bonos mores, ad infamiam, vel invidiam alicujus spectat, [l] Convicium non tantùm præsenti, sed etiam absenti fit, [m] Eum verò qui nocentem infamat non est bonum & æquum, ob eam rem condemnari; [n] Peccata enim nocentium nota esse & oportet, & expedit. Et [n] Iuris Executio non habet injuriam. [o] Tot autem sunt injuriæ, quot personæ injuriam facientium. [p] Atrox injuria æstimatur ex facto, ut siquis fustibus cæsus: ex loco, si cui in theatro, vel in foro injuria facta sit: ex personâ, si Magistratus passus fuerit, aut parenti facta sit à liberis, Nonnunquam magnitudo, & locus vulneris atrocem injuriam facit, ut si in oculo quis percussus fuerit. Et [q] Crescit contumelia ex persona ejus qui

a D. 50. 16. 238.
b D. 47. 2. 53.
c D. 50. 16. 152.
d D. 47. 10. 1.
e D. 47. 10. 1. 3.
f D. 47. 10. 1. 5.
g I. 4. 4. 1.
h D. 47. 10. 15. 23.
i D. 47. 10. 1. 10.
k D. 47. 10. 13. 4.
l D. 47. 10. 13. 7.
m D. 47. 10. 18.
n D. 47. 10. 13. 2.
o D. 47. 10. 34.
p D. 47. 10. 7. 8.
q D 47. 10. 17. 3.

contumeliam facit. In Delictis ſecundum eſt furtum, & definitur [r] Furtum, contrectatio rei fraudulosa, lucri faciendi gratiâ, vel ipſius rei, vel etiam uſus ejus, poſſeſſionisve quod lege naturali prohibitum eſt admittere. [f] Furtum verò ſine affectu furandi non eo committitur, nec affectu ſolo ſine facto, nam [t] Sola cogitatio furti faciendi non facit furem. Sed nec nudo conſilio. [u] Neq; enim qui alicui malum conſilium dedit, furtum facit; tenetur tamen qui perſuadet & adjuvat, nam [y] Sicut nemo furtum facit ſine dolo malo, ita nec conſilium vel opem ferre ſine dolo malo poteſt. Furtum deinde aliud manifeſtum eſt, aliud non manifeſtum. [z] Fur manifeſtus eſt quem ἐπ' αὐτοφώρῳ appellant, hoc eſt, qui deprehenditur cum furto, priuſquàm eò loci rem pertulerit, quò deſtinaverit. [a] Nec manifeſtus fur eſt, qui in faciendo deprehenſus non eſt, ſed eum furtum feciſſe negari non poteſt. [b] Qui res alienas rapit, tenetur etiam furti; quis enim magis rem alienam invito domino contrectat, quàm qui vi rapit? ideoq; rectè dictum eſt eum improbum furem eſſe, & Ridiculum eſſet levioris conditionis eſſe eum qui vi rapit, quàm qui clàm ſubmovet. Tertiò in Delictis eſt [c] Damnum injuriâ, vel culpâ datum, quod ab ademptione & quaſi Diminuti one patrimonii dicitur; ita [d] Si quis plus juſto oneratus dejecerit onus, & animal occiderit, damnum injuriâ facit, fuit enim in ipſius arbitrio, ita ſe non onerare, & [e] Si lapſus aliquis ſervum alienum onere preſſerit, tenetur, ſi ſe plus juſto oneravit, vel negligentiùs per lubricum tranſierit. Item [f] Si ex plauſtro lapis ceciderit, & quid ruperit vel fregerit, plauſtrarium teneri placet, ſi malè compoſuit lapides, & ideò lapſi ſunt. [g] Fortuita incendia, ſi, cùm vitari poſſint per negligentiam eorum apud quos orta ſunt damno vicinis fuerint, civiliter exercentur, ut qui injuriâ affectus eſt damni diſceptet. [h] Ad damnum injuria, vel culpa leviſſima facit. Sed & [i] Is damnum dat qui jubet dare, Si quis verò alterius impulſu damnum dederit, tenetur is qui impulit, nam [k] Qui occaſionem præſtat

r D.47.2.1.
f D.41.3.37.
t D.47.3.37.
u D.47.2.36.
y D.47.2.50.
z D.47.2.3.
a Paul. Sent. 2.31.
b I.4.2.
c D.9.2.5.
d D.39.2.3.
e D.9.2.7.
f D.9.2.27. 33.
g D.48.19. 28.
h D.9.2.44.
i D.50.16.16. 9.
k D.9.2.30.

ſtat damnum feciſſe videtur. Ita obligatio oritur ex Delicto privato: Tollitur, cùm is qui deliquit, pœnæ ſe ſubmiſit, vel is qui læſus eſt remiſit. [l] Pœna enim eſt noxæ vindicta, & Delictorum omnium coërcitio, & plus incommodi habet quàm delictum commodi, quia [m] Nemo ex delicto ſuo conditionem ſuam meliorem facere debet. Et [n] pœna conſtituitur in emendationem hominum, & [o] Pœnâ homines afficiuntur ut exemplo deterriti minùs delinquant: [p] Nunquam verò creſcit ex poſtfacto præteriti delicti æſtimatio. Remiſſio pœnæ eſt cùm quis vindictæ renunciat, vel non quærit, & contingit non ſolùm [q] cùm quis accepit ſatisfactionem, ſed & [r] ſi nudâ voluntate remiſit injuriam; nec tantùm expreſsè remittitur, ſed & tacitè [s] diſſimulatione aboletur, ſi quis enim injuriam dereliquerit, hoc eſt ſtatim paſſus ad animum ſuum non revocaverit, poſteà ex pœnitentiâ recolere non poteſt.

l D. 50. 16. 138.
m D. 50. 17. 145.
n D. 48. 19. 20.
o D. 48. 19. 6.
p D. 50. 17. 131.
q D. 47. 10. 17. 7.
r D. 47. 10. 17.
s D. 47. 10. 11.

SECT. 10.

De Iure Officii.

Ius ſive Obligatio officii eſt, ex quo quis ob perſonam quam ſuſtinet, circa univerſitatem negotiorum, ad Ratiocinium tenetur, quod contingit occaſione Miniſterii, vel Adminiſtrationis. Miniſterium eſt cum quis negotia aliena ſub alio procurat; ut Inſtitor qui rebus Vrbanis, Villicus qui rebus ruſticis adhibetur. Adminiſtratio eſt cùm quis cum autoritate aliquâ præficitur, ut Tutor qui negotiis pupillaribus præponitur, & Hæres qui in locum defuncti ad eius voluntatem exequendam ſufficitur. Tollitur Officii Obligatio cùm Rationes hinc redditæ, & indè acceptatæ fuerint. Rationes reddere eſt, eorum quæ quis in officio gererè debuit, & geſſit, copiam & fidem facere: Rationes acceptare eſt, ea de quibus conſtat, tan-

quam utiliter gesta (quod ad eos pertinet quorum interest) comprobare.

OFficium quod in pluribus negotiis versatur obligationes plures complectitur, quibus tamen satisfieri videtur cùm quis Ratiocinium rectè absolvit. Vt in officiis privatis, alia à solâ voluntate hominis pendent, ut cùm quis Procurator ad negotia in genere, vel certis rebus, ut institor, & Villicus præficitur: alia magis à jure indicuntur, ut officium Tutoris, & Hæredis.[a] Procurator ad negotia est qui aliena negotia mãdato domini administrat; & quemadmodum [b] Invitus Procurator dari non solet: ita [c] Non ferendus qui sibi asserit procurationem, nam hoc ipso suspectus est qui operam suam ingerit invito: & [d] Procurator cui generaliter libera administratio rerum commissa est, potest exigere, aliud pro alio permutare, sed & id quoq; ei mandari videtur, ut solvat creditoribus, [e] aliàs Procurator totorum bonorum cui res administrandæ mandatæ sunt, res domini sine speciali mandato alienare non potest, nisi quæ facilè corrumpi possunt. In quibuslibet verò negotiis [f] Procurator ex bonâ fide rationem reddere debet. [g] Institor est qui tabernæ ad emendum, vendendúmve præponitur, sed & [h] si Tabernarius servum peregre mittit ad merces comparandas, & sibi mittendas, loco institoris est; & [i] Æquum est sicut commoda quis sentit exactu institorum, ita etiam ex eorum contractibus obligari, & conveniri, Sed [k] Non omne quod cum institore geritur obligat eum qui præposuit, sed ita si ejus rei gratiâ cui præpositus fuerit, contractum est, Quinetiam semper [l] Conditio præpositionis servanda est. Deniq; [m] Si quis nolit cum institore contrahi, palàm prohibere debet, Nam de quo palam proscriptum fuit ne cum eo contrahatur, præpositi loco non habetur.[n] Villicus propter fructus percipiendos, non propter quæstum, plerumq; præponitur, & ideò si cum Villico alicujus contractum sit in dominum actio non datur.

a D.3.3.1.
b D.3.3.8.
c D.3.3.25.
d D.3.3.58.
e D.3.3.63.
f D.3.3.46.
g D.14.3.18.
h D.14.3.57.
i D.14.3.1.
k D.14.3.5. 11.
l D.14.3.11. 5.
m D.14.3. 11.
n D.14.3.16.

Hujus-

Hujusmodi sunt officia voluntatis, magis necessitatis est officium Tutoris, & Hæredis; & ad Tutoris officium quod attinet, [o] Tutela est vis, ac potestas in capite libero, ad tuendum eum qui propter ætatem suam nequit se defendere. Et [p] Tutor non rebus duntaxat, sed etiam moribus pupilli præponitur. Et [q] Eadem à Tutoribus diligentia exigitur circa administrationem rerum pupillarium, quam Paterfamiliâs rebus suis ex bonâ fide præstare debet. [r] Nihil autem gerere, ante Inventarium factum, Tutorem oportet, nisi id quod dilationem nec modicam expectare possit. Deniq; [s] Officio Tutoris incumbit rationes actûs sui conficere, & pupillo reddere.

Sed & Hæres, ut in bonis quæ defunctus habuit succedit, ita ea quæ post mortem fieri velit, adimplere debet; cujusmodi sunt, legitimè apertis tabulis, testatore pro honestate sepulto, & bonorum inventario confecto, Debita siqua sunt exolvere, legata præstare, & reliqua quæ testator voluit, exequi. Et Primùm [t] Prospectum est ut voluntates ultimæ deficientium aperiantur apud censûs magistrum, monumentis intervenientibus; item, ut [u] Testamenta omnia quæ apud officium censuale publicantur in eodem loco reserventur: (nam, [x] Tabularum testamenti instrumentũ non est unius hominis, hoc est hæredis, sed universorum, quibus quid illis ascriptum est, quin potiùs publicum est instrumentum) vel ut [y] Testamentorum tabulæ secundum leges moresq; locorum insinuentur. Deinde [z] Cùm hæreditas ad aliquem delata est, omnimodò ab ipso inventarium confici debet, super his rebus quas defunctus mortis tempore habuit, sub præsentiâ tabulariorum, cæterorumq; qui ad hujusmodi confectionem necessarii sunt. De sepulturâ Defuncti sic statuitur. [a] Funus eum facere oportet, quem decedens elegit, sin autem de hâc re defunctus non cavit, nec ulli delegatum id munus est, scriptos hæredes ea res contingit: & [b] sumptus funeris pro facultatibus, & dignitate defuncti æstimandi sunt. [c] Nec voluntas defuncti sequenda est, si res egrediatur justam

o D.26.1.1.
p D.26.1.12.
3.
q D.26.1.33.
r D.26.1.7.
s D.27.3.1.
t C.6.23.23.
u C.6.23.18.
x C.6.32.2.
y C.6.32.2.
z C.6.30.12.
2.
a D.11.7.12.
b D.11.7.12.
5.
c D.11.7.14.
6.

justam sumptûs rationem. [d] Iustus verò funeris sumptus accipitur, quicquid corporis causa, veluti unguentorum erogatum est, & pretium loci in quo defunctus humatus est, & si qua vectigalia sint, vel sarcophagi, & vectura, & quicquid corporis causâ antequam sepeliatur consumptum est. Et hujusmodi [e] Impensa funeris semper ex hæreditate deducitur, & omne creditum præcedere solet, cum bona solvendo non sunt. Post sepulturam defuncti, hæredibus incumbit onus solvendi debita, nam Hæreditas quin obliget æri alieno plusquam manifestum est. [g] Hæredes verò si inventarium confecerint, hæreditatem sine periculo habent, & in tantum hæreditariis creditoribus tenentur, quantum res ad eos devolutæ valent. Si verò inventarium facere distulerint, & tempus ad inventarii confectionem datum effluxerit, debitis hæreditariis in solidum tenentur. Vltra debita defuncti etiam Legata ab hærede sunt præstanda. Nam [h] Legatum est donatio à defuncto relicta, ab hærede præstanda. [i] Neminem tamen oportet plus legati nomine præstare, quàm ad eum ex hæreditate pervenit. [k] Legato debito, nihil amplius ex hoc legato quàm actiones suas hæres præstare debet. [l] Re in genere legatâ, Electio est Legatarii. [m] Nummis verò indistinctè legatis receptum est ut exiguiores legati videantur. [n] Si certum corpus legatum est, veluti frumentum ex illo horreo, ibi præstabitur ubi relictum est, sin verò non est certa Species, ibi præstandum est ubi petitur. [o] Quicquid rei legatæ accedit, vel decedit, Legatarii damno, vel lucro est. Deniq; ut hæreditas ad legata sufficiat, necessariæ expensæ sunt deducendæ. Itaq; [p] In Computatione Patrimonii datur hæredi licentia excipere, & retinere quicquid in funus expendit, vel in testamenti insinuatione, vel in Inventarii confectione, vel in alias necessarias causas hæreditatis approbaverit se persolvisse.

Atq; hæc de Iure privato.

d D.11.7.13. & 14.

e D.11.7.45.

g C.6.30.12. 4.

h l.2.20.

i D.36.1.1. 17.

k D.30.105.

l D.30.108. 2.

m D.32.75.

n D.30.108.

o D.30.8.

p C.6.30.12.

PARS

PARS QVARTA.

SECT. I.

De Iure Publico.

IVs publicum est quod spectat ad Rempublicam; idq; ad Salutem, & Decus publicum refertur. Salus publica est, quâ respub. subsistit, Decus publicum est quo respub. floret. Iuri Publico adversantur Periculum, & Pernicies publica; Periculum est malum respub. imminens, Pernicies est ex quâ respub. manifestè laeditur. Iure publico continentur etiam Publicus status, Possessio, & Obligatio.

VLtra communionem quam homines singuli habent inter se, ea est quæ universis cum repub. vel Principe intercedit; Itaq; post jus illud à quo pendet Communio privata, observandum est id quo Communio publica sustinetur, id est, [a] Ius publicum; de quo Iureconsultus, Publicum Ius est, quod ad statum rei Romanæ spectat; quod, etsi in multis privati juris rationem habet, quòd; Respub. personæ vicem sustinet, in multis tamen differt, & excellit, quòd ratio totius potior sit, quàm ratio partium, unde statuitur [b] Salus populi suprema Lex esto, & [c] Ea quæ communitèr omnibus prosunt, his quæ quibusdam specialitèr sunt utilia, sunt præponenda; & [d] Vtilitas publica præfertur contractibus privatorum. Deniq; omnium sollicitudini commendatur, Ne quid detrimenti capiat Respublica. Et [e] omnes in communi si necessitas exigit, convenit utilitatibus publicis obedire.

[a] D.1.1.1.2.

[b] LL.12.tab.

[c] C.6.43.4.

[d] C.12.63.3.

[e] C.11.3.1.

SECT.

SECT. 2.

De Iure ſtatus publici & de Iure ſubditi.

Ius ſtatûs publici eſt poteſtas publicè agendi pro relatione ſingulorum ad Rempublicam; Qualis eſt ſubditi, Magiſtratus, & Principis.

Ius Subditi ſive Subjecti eſt, ex quo quis Poteſtatem habet agendi ſub defenſionis publicæ præſidio. Suntq; ſubditi alii humiliori, alii meliori conditione. Humiliores ſunt, qui vel Opibus vel Fide minus apud alios valent. Melioris conditionis ſunt qui Locupletes habentur, aut Exiſtimatione pollent.

Deinde Ius ſubditi contingit, vel ex natione, vel ex Incolatu. Natio eſt Regio qua quis naſcitur. Incolatus eſt ubi quis domicilium aliquandiu conſtituit. Ius ſubditi deficit in extraneo qualis eſt Advena qui aliunde migravit & nondum ſedem fixit, & qui publico præſidio exuitur, ut Exul qui à ſuis pellitur, & Transfuga qui à ſuis ſe ſubduxit.

AD conſtituendam rempub. & qui regantur eſſe oportet, & qui regant; illi ſubditi dicuntur pròut referuntur ad principem, & ut plurimum Cives, reſpectu aliorum Civium, quemadmodum qui libertus dicitur, reſpectu patroni, reſpectu aliorum libertinus appellatur. In eo tamen differunt, quòd inter Cives eſſe poteſt qui non ſit ſubditus, ut putà princeps, & inter ſubditos qui non ſit Civis, veluti incola, quòd civis ſit nomen beneficii magis quàm oneris, cujus jus quis pro libitu ſuo acquirere non poteſt, poteſt verò repudiare, ſubditus ſit nomen oneris magis, quàm beneficii, cui quis pro arbitrio ſuo ſe ſubjicere poteſt, eximere verò

verò se non potest. Pro onere verò quod in repub. sustinent subditi, in repub. protectione gaudent. Vnde Imperator, [a] Tantum mihi curæ est eorum qui reguntur libertas, quantum illorum & Benevolentia, & obedientia. Suntq; [b] Alii humiliori, alii altiori loco positi. Humiliori loco sunt, quorum [c] Paupertas operi, & oneri impar est, quales censentur [d] qui minus quam quinquaginta aureos habent in bonis. Item qui neque iter vivunt, Et sunt [e] vitæ sequioris, qui [f] sordidè agunt; & turpem quæstum sectantur; Melioris conditionis est [g] Locuples qui satis idoneè habet pro magnitudine rerum quas suscipit, vel, ut Lex Papia definit, [h] Qui centum millia sestertium possidet, Item qui est exploratæ fidei, & existimationis integræ, cujusmodi [i] Existimatio, est dignitatis illæsæ status, moribus ac legibus comprobatus. Deindè Subditus quis fit primùm ratione nationis, nam [k] Partus non tantùm parenti, verùm etiam reipub. nascitur, cujusmodi ad rempub. relatio exui non potest. Quippe [l] Origine propriâ nemo potest voluntate suâ se eximere, nec si aliam assumat, quod [m] Assumptio Originis quæ non est, veritatem naturæ non perimit, Errore enim veritas Originis non amittitur, nec mendacio dicentis se inde non esse, deponitur. Neq; recusando quis patriam, ex quâ oriundus est, neq; mentiendo de eâ quam non habet veritatem mutare potest. Secundò, quis fit Subditus Incolatu; Originarius enim, & Incola in eo differunt, quòd ille perpetuus, hic pro tempore subditus existat. [n] Incola verò est, qui in aliquam regionem domicilium suum contulit, (quem græci παροικον, id est juxta habitantem appellant) id est, animo manendi se recepit. Nam [o] Eo in loco domicilium habetur ubi quis Larem, rerumq; ac fortunarum suarum summam constituit. Inter subditos non censetur Advena, qui nondum jus subditi adeptus est, & Transfuga, qui eo jure excidit. [p] Advena est quem græci ἐπήλυτον sive colonum advenientem appellant. Transfuga est qui à repub. defecit, & [q] deficere dicuntur qui ab his quorum sub imperio sunt

a D.49.1.25.
b D.48.8.3. 5.
c D.27.1.40.
d D.48.2.10.
e D.2.15.8. 1.
f D.3.2.2.5.
g D.50.16. 234.
h I.3.8.2.
i D.50.13.5.
k D.37.8.1.2.
l C.10.38.4.
m D.50.1.6.
n D.50.16. 23.
o C.10.39.7.
p D.50.16. 239.
q D.4.5.5.

 desciscunt

desciscunt, & in hostium numerum se conferunt.

SECT. 3.

De Iure Magistratûs.

Ius magistratûs, sive Iurisdictio, est ex quo quis inter alios subditos jus dicendi potestatem habet. Estq; Magistratus vel minor, qui in negotiis levioribus coërcitionem leviorem habet, vel Major cujus potestas, ad negotia graviora, per censuras severiores, extenditur. Deindè Magistratus, aut Eligitur, aut Præficitur: Eligitur qui eorum consensu quibus eligendi potestas permittitur evehitur. Præficitur qui autoritate superioris, Principis sci., penes quem ea est potestas, Magistratus constituitur. Deniq; Ius Magistratus deficit in Plebeio, qualis est qui potestatem ius dicendi nondum habuit, Et qui functus est aut deposuit.

INter reliquos subditos & Principem constituti sunt magistratus, quibus commissa est Administratio reip. cum aliquo dignitatis gradu. Magistratus verò intra certum Territorium exercetur, est enim [a] Territorium universitas agrorum, intra fines cujusq; civitatis, ab eo dictum, quod magistratus eò loci intra eos fines terrendi, id est submovendi potestatem habet. Et [b] Extra Territorium jus dicenti impunè non paretur. Deinde omnis Magistratus aliquam coërcitionem habet; cùm [c] Cui concessa est Iurisdictio, ea quoq; concessa videntur sine quibus Iurisdictio explicari non potest. Vnde Minor Magistratus est qui Iurisdictionem habet sine imperio, id est, qui pœnas capitales imponere non potest: quemadmodum magistratus Major, qui Iurisdictionem habet cum imperio, ut [d] Consul, Præfectus, Prætor, cæteriq; magistratus, qui imperium habent, qui & coërcere aliquem possunt, & jubere in carcerem duci. Et cùm æqualis est potestas, [e] Magistratus

a D. 50. 16. 239.

b D. 2. 1. 20.

c D. 2. 1. 2.

d D. 2. 4 2.

e D. 4. 8. 4.

gistratus pari imperio nullo modo cogi possunt, quia [f] Prætor in Prætorem, Consul in consulem nullum jus habet. [g] Receptum tamen est, ut si quis major, vel æqualis subjiciat se Iurisdictioni alterius, possit ei, & adversus eum jus dici. Præterea in Magistratibus tum eligendis, tum præficiendis, expedit observare, quòd [h] Ad remp. administrandam ante vigesimum quintum annum admitti minores non oportet, [i] In honoribus tamem favoris causâ constitutum est, ut anni inchoati pro plenis accipiantur; Sed & [k] si lege caveatur ut præferantur certæ conditionis homines, sciendum est hoc esse observandum ut sint idonei: & [l] Illi qui æstimationem in pecuniâ pro administratione offerunt, audiendi non sunt. Itèm [m] Qui indignus est inferiori ordine, indignus est superiori, & [n] Gradatim honores deferendi sunt, ut à minoribus ad majores perveniatur, neq; prius majorem Magistratum quisquam, nisi minorem susceperit, gerere debet. Sed [o] Nec continuare honores quisquam debet nisi desint idonei qui hoc munere fungantur, nam [p] Neq; eos qui placuerunt gravare justi, neq; eos qui displicuerunt tenere prudentis est. Postremò qui in magistratu non est, Plebeius dici potest; nam [q] Plebis appellatione sine patriciis & senatoribus cæteri cives significantur, quibus nullo modo licet quod Magistratibus, quia [r] Non est singulis concedendum quod per Magistratum publicè fieri potest.

[f] D.36.1.13.
[g] D.2.1.14.
[h] D.50.5.8.
[i] D.50.4.8.
[k] D.50.4.11.
[l] D.50.4.16.
[m] D.1.9.4.
[n] D.50.4.11.
[o] D.40.4.14.
[p] C.10.70.4.
[q] I.1.2.4.
[r] D.50.17.176.

SECT. 4.

De Iure Principis.

Jus Principis, sivè Majestas, est ex quò in repub. generalem, & supremam potestatem habet, cuius Prærogativæ aliæ Gratiæ sunt, aliæ Iustitiæ. Prærogativæ Gratiæ sunt veluti potestas Natalibus restituendi, Civitate, vel Rep. donandi, Collegia, & Vniversitates instituendi, & similia. Prærogativæ Iustitiæ sunt, de Ponderibus, & Mensuris

desciscunt, & in hostium numerum se conferunt.

SECT. 3.

De Iure Magistratûs.

Ius magistratûs, sive Iurisdictio, est ex quo quis inter alios subditos jus dicendi potestatem habet. Estq; Magistratus vel minor, qui in negotiis levioribus coërcitionem leviorem habet, vel Major cujus potestas, ad negotia graviora, per censuras severiores, extenditur. Deinde Magistratus, aut Eligitur, aut Præficitur: Eligitur qui eorum consensu quibus eligendi potestas permittitur evehitur. Præficitur qui autoritate superioris, Principis sci., penes quem ea est potestas, Magistratus constituitur. Denique Ius Magistratus deficit in Plebeio, qualis est qui potestatem ius dicendi nondum habuit, Et qui functus est aut deposuit.

INter reliquos subditos & Principem constituti sunt magistratus, quibus commissa est Administratio reip. cum aliquo dignitatis gradu. Magistratus verò intra certum Territorium exercetur, est enim [a] Territorium universitas agrorum, intra fines cujusq; civitatis, ab eo dictum, quod magistratus eò loci intra eos fines terrendi, id est submovendi potestatem habet. Et [b] Extra Territorium jus dicenti impunè non paretur. Deinde omnis Magistratus aliquam coërcitionem habet; cùm [c] Cui concessa est Iurisdictio, ea quoq; concessa videntur sine quibus Iurisdictio explicari non potest. Vnde Minor Magistratus est qui Iurisdictionem habet sine imperio, id est, qui pœnas capitales imponere non potest: quemadmodum magistratus Major, qui Iurisdictionem habet cum imperio, ut [d] Consul, Prætor, cæteriq; magistratus, qui imperium habent, qui & coërcere aliquem possunt, & jubere in carcerem duci. Et cùm æqualis est potestas, [e] Magistratus

a D. 50. 16. 239.

b D. 2. 1. 20.

c D. 2. 1. 2.

d D. 2. 4 2.

e D. 4. 8. 4.

gistratus pari imperio nullo modo cogi possunt, quia [f] Prætor in Prætorem, Consul in consulem nullum jus habet. [g] Receptum tamen est, ut si quis major, vel æqualis subjiciat se Iurisdictioni alterius, possit ei, & adversus eum jus dici. Præterea in Magistratibus tum eligendis, tum præficiendis, expedit observare, quòd [h] Ad remp. administrandam ante vigesimum quintum annum admitti minores non oportet, [i] In honoribus tamem favoris causâ constitutum est, ut anni inchoati pro plenis accipiantur; Sed & [k] si lege caveatur ut præferantur certæ conditionis homines, sciendum est hoc esse observandum ut sint idonei: & [l] Illi qui æstimationem in pecuniâ pro administratione offerunt, audiendi non sunt. Itèm [m] Qui indignus est inferiori ordine, indignus est superiori, & [n] Gradatim honores deferendi sunt, ut à minoribus ad majores perveniatur, neq; prius majorem Magistratum quisquam, nisi minorem susceperit, gerere debet. Sed [o] Nec continuare honores quisquam debet nisi desint idonei qui hoc munere fungantur, nam [p] Neq; eos qui placuerunt gravare justi, neq; eos qui displicuerunt tenere prudentis est. Postremò qui in magistratu non est, Plebeius dici potest; nam [q] Plebis appellatione sine patriciis & senatoribus cæteri cives significantur, quibus nullo modo licet quod Magistratibus, quia [r] Non est singulis concedendum quod per Magistratum publicè fieri potest.

[f] D.36.1.13.
[g] D.2.1.14.
[h] D.50.5.8.
[i] D.50.4.8.
[k] D.50.4.11.
[l] D.50.4.16.
[m] D.1.9.4.
[n] D.50.4.11.
[o] D.40.4.14.
[p] C.10.70.4.
[q] I.1.2.4.
[r] D.50.17.176.

SECT. 4.

De Iure Principis.

Jus Principis, sivè Majestas, est ex quò in repub. generalem, & supremam potestatem habet, cuius Prærogativæ aliæ Gratiæ sunt, aliæ Justitiæ. Prærogativæ Gratiæ sunt veluti potestas Natalibus restituendi, Civitate, vel Rep. donandi, Collegia, & Universitates instituendi, & similia. Prærogativæ Justitiæ sunt, de Ponderibus, & Mensuris

ſuris ſtatuendi, de Monetis, & re nummariâ diſponendi; Leges condendi interpretandiq; de Vita, & Nece conſtituendi & ſimilia. Et Ius huiuſmodi eſt vel à ſucceſſione, vel à ſuffragiis ſubditorum; ſucceſſio eſt cum in Locum principis defuncti qui ſanguine proximus eſt ſufficitur. Suffragiis ſubditorum Ius principis acquiritur, cum quis ſecundum Ius regni votis ſubditorum in principem cooptatur: Ius principis deeſt in iis qui ſunt de populo, quorum ſcil. conditio eſt infra Maieſtatem.

PRinceps vel [a] Pater Patriæ, eſt penès quem eſt ſumma imperii; quæ majeſtas dicitur: Poſtquam populus Romanus lege Regia Principi & in principem omne ſuum imperium & poteſtatem contulit, ex quâ non ſolum reliqui ſubditi, ſed etiam Magiſtratus ipſi ſubjiciuntur. Cujus Prærogativæ perſonales quæ & Regalia dicuntur, ſunt poteſtates quæ ipſius perſonæ cohærent, eæq; vel gratiæ, vel juſtitiæ. De quarum primis traditur, quòd [b] Beneficium Principis quod à divinâ ejus indulgentiâ procedit, quàm pleniſſimè interpretari debemus, modò non in alterius præjudicium tendat. Cùm [c] Aliorum honores, aliis damnorum occaſiones fieri non oportet. Et in dubio [d] Princeps beneficii ſui eſt æſtimator. Huc ſpectat: Primò poteſtas natalibus reſtituendi, de quâ Iureconſultus. [e] Interdum ſervi nati, ex poſtfacto juris interventu ingenui fiunt, ut cùm Libertinus à Principe natalibus ſuis reſtitutus fuerit, illis utiq; natalibus reſtituitur in quibus initio omnes homines fuerunt, non in quibus ipſe naſcitur, cùm ſervus natus eſſet. 2° Poteſtas civitate vel republicâ donandi, ex quâ [f] Antoninus Pius multis peregrinis jus Romanæ civitatis dedit. 3° Poteſtas Collegia & Vniverſitates inſtituendi: [g] Neq; enim ſocietates, neq; Collegium, neq; hujuſmodi corpus paſſim omnibus habere conceditur. [h] Collegia autem certa ſunt quorum corpus conſtitutionibus principalibus conſervatum eſt.

Ad Prærogativas juſtitiæ referri poſſunt 1° Poteſtas de Pon-

a D. 48. 22. 19.
D. 1. 4. 1.
b D. 1. 4. 3.
c C. 1. 24. 4.
d D. 50. 17. 191.
e D. 40. 11. 2.
f N. 78. 5.
g D. 3. 4. 1.
h D. 3. 4. 1.

Ponderibus, & Mensuris statuendi, cùm Principis jussu [i] Modii ærei, vel lapidei cum sextariis, atq; ponderibus per mansiones singulasq; civitates collocentur. 2° Potestas monetæ, unde Imperator [k] In monetis tantummodo nostris cudendæ pecuniæ studium frequentari volumus. 3° Item Potestas constituendorum Magistratuum ad justitiam expediendam, cùm [l] Romæ ad curam Principis Magistratuum creatio pertinet, non ad populi favorem. 4° His accensetur quòd legum Autoritas ab ipso pendeat. Nam [m] Imperator solus & conditor & interpres Legis existimatur, & quod [n] Principi placuit Legis habet vigorem, & [o] sacrilegii instar est rescripto Principis obviare. Vnde ipse Legibus civilibus non astringitur. Nam [p] In omnibus Imperatoris excipitur fortuna, cui ipsas leges Deus subjecit, [q] Deeet tamen Principem, inquit Paulus, servare leges quibus ipse solutus est. 5° Deniq; etiam ad Majestatem spectat potestas vitæ, & necis, cùm solus Princeps primario habeat jus gladii. Vnde pœna minui, & restituio in integrum concedi duntaxat à Principe potest; & [r] Nemo potest commeatum, remeatumve dare exuli, nisi Imperator ex aliquâ causâ.

i C.10.70.9.

k C.9.24.2.

l D.48.14.1.

m C.1.14.12.

n D.1.4.1.

o C.1.23.5.

p N.105.2.

q D.32.1.23.

r D.48.19.4.

SECT. 5.

De Iure possessionis publicæ, & de Iure Rei publicæ.

Ius possessionis publicæ est ex quo Res publicè habetur, vel potestati publicæ subjicitur, & spectat ad Ius Rei publicæ, Loci publici, & Fisci publici. Ius Rei publicæ, sive dominii publici est ex quo res singulæ in dominio publico habentur, quarum aliæ extra Commercium constitutæ sunt aliæ sunt in commercio. Extra commercium constitutæ sunt quas ad perpetuum usum Resp. habet, quæ privati Iuris fieri non possunt: In com-

commercio sunt, quæ sunt usus transitorii, quæ non minùs ac res privatorum inter se ad dominium singulorum transferri possunt. Et Ius publicæ rei acquiritur iisdem modis quibus Dominium privatæ, Occupatione scilicet, Accessione, & Donatione; & quatenus in Commercio est iisdem modis transfertur, nisi quod rei publicæ vix procedit Vsucapio.

SIcut hominibus singulis, ita & Reip. jus in Rebus competit, neq; enim publicis minùs quàm privatis utilitatibus res sunt comparatæ. Itaq; Reip. ut [a] Municipium
a D.41.2.1. 12. possidere potest, idq; ex causa Dominii, unde [b] Bona publica dicuntur quæ sunt populi Romani, Reip. scilicet usi-
b D.50.16. 15. bus destinata; Atq; horum quædam ita Reip. sunt, ut non
c D.18.1.34. sint in Commercio, [c] quæ mores civitatis commercio exuerunt, ut Campus Martius & Basilicæ, quæ publico usui
d D.18.1.6. destinata sunt. Alia sunt in Commercio [d] quæ sunt in pecuniâ populi Romani, non in usu publico habentur. Atq; hæc iisdem modis, quibus dominium in privatis, acqui-
e I.2.1.39. runtur. Occupatione scilicet & Inventione; ita, [e] Si quis in publico, vel in Civitatis loco invenerit; dimidium ipsius erit, dimidium fisci, vel civitatis. Item, Accessione,
f D.41.1.65. undè [f] Id quod in publico loco innatum, aut ædificatum est, publicum est, & insula quæ in publico flumine nata est, publica esse debet. Item, donatione, sive Largitione; ita Opera publica liberalitate privatâ constructuntur. Sed
g D.50.8.1. [g] Quod ad certam speciem civitati donatur, ad alios usus
h D.50.8.4. convertere non licet. At [h] si quod quis fieri jussit fieri non potest, permittitur summam quæ eo nomine debetur, in id quod maximè necessarium reip. videatur convertere. Deniq; quod est Iuris publici modò sit in Commercio, in
i D.41.1.50. privatorum dominium concedi potest. Ita, [i] in littore publico vel in mari, adhibito Prætoris decreto, extruere licet. Sed publicus consensus expressè intervenire debet;
k D.41.3.9. Nam [k] Res publicæ populi Romani & Civitatum, usucapionem non recipiunt; unde Seneca, [l] Negant Iureconsulti
l Ep.141.

sulti quicquam usucapi quod est publicum.

SECT. 6.

De Iure Loci Publici.

Ius Loci publici, sive servitutis publicæ, est ex quo Locus publicus populi vel subditorum usibus inservit, cuiusmodi Ius præcipuè habetur in Viis, & Fluminibus publicis; Viæ publicæ sunt viæ maiores quæ in Urbem, aut in Provincias ducunt: Flumina sunt in quibus piscandi, vel navigandi publicè copia est. In his usus subditis ex benignitate Principis, vel Privati alicuius constituitur, Desuetudine verò vix tollitur.

NOn solùm plenum rerum Dominium, sed etiam servitus, vel usus rei alienæ, reip. competere potest. Ita enim ususfructus, qui est servitus personalis, civitati, vel Reip. utilitèr constituitur: & [a] ne perpetuus fiat, quia neq; morte, neq; capitis diminutione facilè periturus sit, quâ ratione proprietas inutilis esset futura, semper abscedente usufructu, placuit cives centum annos tuendos esse in usufructu, quia is est finis vitæ longævi hominis. In servitutibus realibus minùs est dubii, præcipuè cùm proprietas rerum reip. est usus singulorum subditorum, quod in locis publicis contingit. Nam [b] Loca publica utiq; privatorum usibus deserviunt, jure scilicet Civitatis, non quasi propria cujusq; . Idq; in Foro, Theatro, & aliis locis publicis obtinet. Nam [c] Publici Loci appellatio, & ad areas, & ad insulas, & ad agros, & ad vias publicas, itineraq; publica pertinet; maximè verò in viis, & fluminibus publicis hoc jus curatur. Nam [d] Via publica est cujus etiam solum publicum est, jus tantùm eundi, & agendi subditis competit. Nam viæ publicæ solum publicum est relictum ad directum, certis finibus latitudinis, ab eo qui jus publicandi habuit, ut eâ publicè iretur, commearetur. Et

a D. 7.1.56.

b D.43.8.2.

c D.43.8.1.

d D.43.8.2. 20.

Et has [e] Publicas vias dicimus quas Græci βασιλικὰς, id est, Regias, Romani Prætorias, & Consulares vias appellant: quæ item [f] Militares dicuntur, & exitum ad mare, aut in urbes, aut in flumina publica, aut ad aliam viam militarem habent. Quibus prope accedunt [g] Viæ vicinales quæ in vicinis sunt, vel in vicos ducunt, quæ etiam publicæ sunt, si non ex collatione privatorum iter constitutum sit, refectio enim idcirco de communi fit quia usum utilitatemq; communem habet. [h] Flumen à rivo magnitudine discernendum est, aut existimatione circumcolentium, & [i] Flumen publicum definit Cassius, quod perenne est. [k] Perenne est autem flumen, ἀέναος quod semper fluit, at Torrens, est χειμάρρους quod hyeme fluit. Nec solùm [l] Flumina publica sunt (id est usibus singulorum inserviunt) sed & ripæ & loca quæ ripæ cedunt; Et [m] Ripa ea putatur quæ pleniſſimum flumen continet. [n] Secundum ripas fluminum, loca publica sunt, & ripæ cedunt, ex quo primùm in plano vergere incipit usq; ad aquam. Et Ius in ejusmodi Locis constituitur, vel permissione Reip. cujus fundus est, vel concessione ejus [o] qui loci publicandi jus habuit. Vix est autem ut desuetudine amittatur, [p] Viam scilicet publicam populus non utendo amittere non potest.

[e] D.43.8.3. 20.
[f] D.43.7.3.
[g] D.43.8. 223.
[h] D.43.12.1.
[i] D.43.12.1.
[k] D.43.12.1.
[l] D.43.12.3.
[m] D.43.12.3.
[n] D.43.12.3.
[o] D.43.8.2. 20.
[p] D.48.11.20.

SECT. 7.

De Iure Fisci.

Ius Fisci, est ex quo Publicum Patrimonium constituitur, quod constat Reditibus magis certis, & Compendiis magis incertis. Reditus magis certi sunt, qui ex fundis, & locis publicis penduntur, ut Pensitationes quæ pro Agris, & Pascuis, Canones quæ pro Metallifodinis, & salinis, & vectigalia, quæ ob portus, vias, aut Pontes publicos solvuntur. Compendia magis incerta sunt, Ereptitia scil. & Caduca. Ereptitia quæ à vivis pro commissis, vel ut ab Indignis, auferuntur: Caduca sunt quæ à mortuis, quibus

quibus successiones non existunt, devolvuntur, & similia. Atq; hæc pro arbitrio Princeps vel in usus publicos insumit, vel ad successorem suum transmittit.

QVemadmodum ad sustinendum onera familiæ Patrimonium privatum, ad sustinendum onera reip. patrimonium publicum comparatum est, ad quod conducunt, & quæ sunt in Bonis antiquis Reip. & quæ sunt in recenti & quotidiano Lucro Principis. Prioris generis sunt Reditus & pensitationes [a] fundorum publicorum, quorum conditio est ut locentur, non ut in jus privatum transferantur, Item & [b] Canon metallicus (id est quod effossis metallis reip. penditur) in quo propria loci consuetudo retinenda est. Item & [c] Reditus piscationum, & salinarum, sed & ejusdem generis sunt [d] vectigalia quæ vulgò dicuntur telonia, quæ [e] Strabo ἐξαγώγια & εἰσαγώγια appellat, quæ pro usu rei publicæ, Portûs scilicet, viæ, & similium, in mercibus invehendis, & evehendis, solvuntur, [f] In quibus etiam vectigalibus consuetudo servari solet. Nec exigi debet ab iis quæ publicis utilitatibus inserviunt. Vnde [g] Fiscus ab omnium vectigalium præstatione immunis est, Et [h] Ad vectigal non pertinent res Præsidis, quas ad suum usum advehendas mandat, ut nec [i] res exercitui paratæ. Posterioris generis sunt, quæ & in Regalibus sive prærogativis Realibus censentur, primò cùm quid propter delictum in fiscum redigitur, ut [k] Cum adversus leges commissum est, veluti cùm quis ea quæ vectigal debent professus non fuerit, Nam [m] Quod commissum est statim desinit ejus esse qui crimen contraxit, Item [n] mulctarum, pœnarumq; compendia. Et [o] Cùm quid tacitè relictum est non capaci in fraudem legis, vel indignus quis hæreditate dicitur. Nam in fiscum cedunt [p] quæ ut ab indignis, legibus auferuntur, deindè cum propter defectum hæredis defuncti bona ἀκληρονόμητα ad fiscum deferuntur, quod contingit primùm cùm absq; illius culpâ hæredem non habet. Nam [q] Bona vacantia tunc ad fiscum

a C.11.61.13.
b C.11.6.2.
c F.2.56.
d F.2.56.
e lib.17.
f D.39.4.4.
g D.32.4.9.
h D.39.4.4.
i D.39.4.9.7.
k D.49.14.1.
l D.39.4.8.
m D.39.4.14.
n F.2.56.
o D.49.14.1.
p F.2.56.
q C.10.10.5.

cum transferuntur si nullum ex qualibet sanguinis linea, vel juris titulo intestatus reliquerit hæredem; deinde cum & ex culpâ propriâ quis hæredē non habet, ut qui vel vitâ, vel libertate, vel Civitate excidere meruit. Nā & [r] qui civitatem amisit hæredem habere non potest, & acquisita fiscus accipit. Æquum tamen existimatum est, eo quoq; casu, quo propter pœnā parentis bona damnatione auferuntur, rationem haberi liberorum, ne alieno admisso graviorem pœnam luant, quos nulla culpa contingit. [t] Vt qui ad universitatem venturi erant jure successionis, ex eâ portiones concessas (id est dimidiam partem) habeant, sed nec creditoribus fiscus præjudicium facit, quòd [u] Non possunt ulla bona ad fiscum pertinere, nisi quæ creditoribus superfutura sunt, Id enim bonorum cujusq; esse intelligitur, quod æri alieno supereſt.

[r] D.48.20.7.
[s] D.48.20.7.
[t] C.9.49.10.
[u] D.49.14.11.

SECT. 8.

De Iure obligationis publicæ, & de Iure Publicæ Conventionis.

Ius Obligationis publicæ est ex quo subditi ad faciendum, vel præstandum aliquid reip. causa tenentur; idq; ratione Conventionis, Criminis, & officii publici. Jus, sive Obligatio Conventionis publicæ est, ex qua quis pro eo quod agit cum rep. reip. debitor constituitur, estq; vel Necessaria, vel spontanea. Necessaria Obligatio est, in quam universi subditi necessariò conveniunt: scilicet pro Censu in Rep. munera sustinere. Census est Ratio virium, & facultatum subditorum quæ sub præsidio Reipub. proteguntur. Munera sunt onera quæ Personis & Rebus, pro necessitate, & utilitate reipub. imponuntur. Spontanea est Obligatio in quam singuli subditi pro libitu conveniunt, ut, cum quis ex pollicitatione, vel contractu ad præstandum aliquid Reip. se astringit. Pollicitatio est promissio

promissio libera, quid perficiendi reip. gratiâ. Contractus est conventio ex causâ inita cum repub. veluti publicæ rei Emptio, Conductio, & similia. Deniq; tollitur huiusmodi Obligatio obeundo munera, & præstando id quod quis pollicitus est, vel in se suscepit.

INter Subditos & Remp. Obligationes non minus quam inter homines singulos contingunt, quibus plurimum & viribus, & opibus Reip. accedit. Et præcipuæ sunt quæ ex conventione oriuntur, & in iis ea, quâ mutuæ defensionis, & auxilii intuitu universi subditi pro Censu in rep. ad munera astringuntur: idq; summâ æquitate, nam Cùm subditorum vita, & opes reip. præsidio contineantur, meritò ad remp. sustinendam, & tuendam eorum opera, & opes impendi debent. Etenim [a] si quis aliquem à latrunculis vel hostibus eripuit, & aliquid pro eo ab ipso accepit, hoc non donatio sed merces eximii laboris appellandũ est, quod contemplatione salutis certo modo æstimari non potest. Est verò [b] Census, secundum Theophilum, personarum, & bonorum descriptio, & [c] Gellius, Censum agere, est describere capita subditorum, & eorum patrimonia æstimare, [d] Munera verò, quædam sunt personarum, alia patrimonii. Personale est quod Corporis labore cum sollicitudine animi, ac vigilantiâ perficitur, vel [e] Personalia sunt quæ animi provisione, & corporalis laboris intentione, sine aliquo gerentis detrimento, perpetrantur, veluti [f] defensio civitatis, ut quis Syndicus fiat, vel ut [g] Legatus ad sacrarium principis mittatur, quia viaticum, quod Legativum dicitur, solet accipere. [h] Cura quoq; emendi frumenti inter personalia munera numeratur, [i] si aliquis fuerit electus ut compellat eos qui prope viam publicam possident, sternere viam, personale munus est, &c. [k] Patrimonii munus est, in quo sumptus maximè postulatur, & [l] Munera quæ patrimoniis indicuntur duplicia sunt, nam quædam possessoribus injunguntur, sive municipes sunt, sive non sunt, quædam non nisi municipibus

a D.39.5.34.
b I.1.5.
c 4.20.
d D.50.4.1.
e D.50.4.8.
f D.50.4.1.
g D.50.4.18.
h D.50.4.18.
i D.50.4.18.
k D.50.4.1.
l D.50.4.6.

nicipibus, vel incolis. Intributiones quæ agris fiunt vel ædificiis, possessoribus indicuntur. Item [m] Agminales equi, mulæ & Angariæ atq; verhedi, [n] Munera verò quæ Patrimoniorũ habentur (pro bonis scilicet) non nisi municipibus, vel Incolis. Sed [o] Majores septuaginta annis à muneribus personalibus vacant, & [p] Corporalia munera fœminis sexus ipse denegat. Inopia verò non excusat à personalibus, [q] Nemo enim opponat fortunam, & casus tristiores ad hoc solùm, ne patriæ idoneus civis esse videatur. [r] Ab aliis oneribus, quæ patrimoniis, vel Possessionibus indicuntur, nulla privilegia præstant vacationem, Nam [s] In tributis sunt nervi Reip. Atq; ad hæc extendit necessaria quæ universos subditos astringit obligatio. Spontanea est obligatio cui aliqui è subditis ultro se subjiciunt, ut, qui aliquid reip. pollicentur, est autem [t] Pollicitatio offerentis solius promissum, quod etsi in privatis non obligat, [u] Si quis tamen reipub. vel civitati promiserit, ob honorem sibi decretum, vel decernendum, vel ob aliam justam causam, tenebitur ex pollicitatione. [x] Item si sine causâ promiserit, cæperit tamen facere, obligatus est qui cæpit. Et [y] ob casum quem civitas passa est si quis promiserit se quid facturum, etsi non inchoaverit omnimodò tenetur. [z] Æquissimum enim est voluntates in civitates collatas pœnitentiâ non revocari. Multo magis obligantur Subditi ex contractu cum repub. inito, utpotè Emptione, & conductione rei publicæ, & similibus. Nam & res fiscales vendi solent, & [a] justa earum pretia non ex præteritâ emptione, sed ex præsenti æstimatione constituenda sunt. Et [b] Loca omnia, fundiq; reipub. propositis priùs licenter edictis, ubi in eum Canonis modum contendentium augmento succreverint, ut extendi ultra non possint, perpetuis conductoribus locantur; Et [c] congruit æquitati ut veteres possessores fundorum publicorum novis conductoribus præferantur, si facta per alios augmenta suscipiant. Maximè vero insignis est conductio vectigalium, & [d] Publicani dicuntur qui publica vectigalia habent conducta.

[m] D.50.4.18
[n] D.50.4.6.
[o] D.50.6.3.
[p] D.50.4.3.
[q] D.50.4.3.
[r] D.50.5.1.
[s] D.48.18.1.20.
[t] D.50.12.3.
[u] D.50.12.1.
[x] D.50.12.1.
[y] D.50.12.3.
[z] D.50.12.3.
[a] D.49.14.3.
[b] C.11.70.3.
[c] C.11.70.4.
[d] D.39.4.12.

ducta. Quo verò meliùs præstetur quod ex hujusmodi contractibus reip. debetur in bonis debitoris [e] Fiscus semper habet jus pignoris, & [f] Reliquatores ad iterandam conductionem, antequâm superiori conditioni satisfaciant, admittendi non sunt. Sed & [g] Locatio eorum quæ calor licitantis ultra modum solitæ conductionis inflaverit, ita demum admittenda est, si is qui Licitatione vicerit fidejussores idoneos, & cautionem offerre paratus sit. Liberatur verò debitor non solùm solutione ejus quod debetur, sed etiam compensatione, Nam [h] Debitoribus fisci, quod fiscus debet compensari potest, exceptâ causâ tributariâ, & stipendiorum. [i] Qui verò compensationem opponit fisco, intra duos menses debitum sibi docere debet.

e D.49. 14. 46.
f D.39.4.9.
g D.39 4.9.
h D.39.14. 46.
i D.39.14. 46.

SECT. 9.

De Iure Criminis.

Ius, sive Obligatio Criminis est, ex quo quis ob Delictum in Remp., supplicio est obnoxius. Delictum in Rempub. est quo Respub. læditur; estq; vel quod mediatè in Rempub. committitur, velutiin personas singulorum, ut homicidium, quo subditi vita tollitur, Stuprum quo mores corrumpuntur, Violentia cùm corpus, aut bona invaduntur; vel immediatè, quod in personas publicas admittitur, ut Crimen Maiestatis, cum vel Princeps qui caput est, vel ipsum Reip. corpus impetitur, Seditio cum plebs, vel vulgus apertè concitatur, & Coniuratio cum plures secretò aliquid in perniciem publicam moliuntur, vel in res publicas perpetratur, ut Crimen Peculatûs, cùm pecunia publica surripitur, Monetæ falsæ cum nummus corrumpitur, Annonæ flagellatæ cum quid fit, quo annona carior fiat. Tollitur Criminis obligatio, supplicio debito, & condonatione, supplicium debitum est pœna delicto æqualis, eaq; vel Capitalis est, ut cum vita

gladio, Libertas damnatione in metallum, Civitas deportatione in Insulas adimitur; vel non capitalis, ut cum quis citra iacturam civitatis in certum locum relegatur, vel certo loco interdicitur, aut cum quis verberibus castigatur, aut cum Pœna pecuniaria infertur, qua quis scilicet bonis suis mulctatur.

PRæterquam conventione, etiam Crimine vel delicto publico, subditus reip. ad pœnam, vel supplicium obligatur; quod ita de jure inductum est, ut pro tranquillitate reip. licet pœna ad paucos, metus ad omnes perveniat. Delictorum verò materia sunt [a] Aut facta, ut furta & cædes, aut dicta, ut convitia, & infidæ advocationes, aut scripta, ut falsa, & famosi libelli, aut Consilia, ut conjurationes & Latronum Conscientia: Forma autem delicti [b] propriè est ab animo. Nam, [b] Delinquitur aut proposito, aut Impetu, aut Casu. Proposito delinquunt Latrones, qui factionem habent. Impetu delinquitur, cum per Ebrietatem ad manus venitur. Casu cum in venando telum in feram missum hominem interfecit. [c] Crimen verò tum contrahitur, si voluntas nocendi intercedit, at ea quæ ex improviso casu potius, quam fraude accidunt, fato plerumq; non noxæ imputantur. Deinde, delicta censentur à circumstantiis, scilicet à Causâ, personâ, Loco, tempore, qualitate, quantitate & eventu. [d] Causa ut in verberibus, quæ à magistro, vel parente illata, emendationis, non injuriæ gratiâ videntur adhiberi. Persona dupliciter spectatur, ejus qui fecit, & ejus qui passus est, aliter enim puniuntur in iisdem facinoribus, servi quam liberi, aliter qui in dominum parentémve audet, quam qui in extraneum. Locus facit ut idem vel furtum sit vel sacrilegium. Tempus discernit Emansorem à fugitivo, Furem diurnum à nocturno. Qualitate factum vel atrocius vel levius est, ut furta manifesta, à nec manifestis discerni solent, expilationes à furtis; Quantitas discernit furem ab abigeo, nam qui unum suem surripuit, fur est, qui gregem, abigeus

a D. 48. 19. 16.

b D. 48. 19. 11.

c C. 9. 16. 1.

d D. 48. 19. 16.

abigeus. Eventus spectatur, ut à clementissimo quoquo facta. Atq; ita de Criminibus in genere. Distinguuntur verò eorum species pro objectis, quæ sunt, vel homines singuli, vel personæ, & Res publicæ. Contra homines singulos delinquitur, 1° Homicidio quod est, [e] cum quis hominem occidit; maximè cum quis hominis cædem [f]Sponte & dolo malo committit; unde [g] Qui hominem occidit, si non occidendi animo hoc admisit, absolvi potest, & qui hominem non occidit, sed vulneravit ut occidat pro homicida est. Sed & [h] Nihil interest, occidat quis an causam mortis præbeat. [i] Plus est autem, hominem extinguere veneno quàm occidere gladio. Maximè verò nefarium est [k] Parricidium, cum quis parentis aut filii fata properavit, sive clam, sive palã id enisus fuerit. 2° Stupro [l] Quod committit qui Liberam mulierem consuetudinis causâ non matrimonii continet, vel [m] Stuprum in virginem & viduam, adulterium in nuptam committitur, utroq; turpius est [n] Incestus, qui est coitus cum sanguinis aut affinitatis contumeliâ, ut cum privignâ, nuru, novercâ. Sed & Stupro ut inservit, ita æquiparatur [o] Lenocinium, cum maritus quæstum ex adulterio suæ uxoris facit, aut deprehensam in adulterio non dimittit. Item [p] Si quis domum suam, ut stuprum adulteriúmve fiat sciens præbeat. Item [q] Lenocinium facit, qui quæstuaria mancipia habuerit; Sed & qui in liberis hunc quæstum exercet, in eâdem causa est, sive autem principaliter hoc negotium gerat, sive alterius negotiationis accessione utatur, ut putà si caupo fuerit, vel stabularius, & mancipia talia habuerit ministrantia, & occasione ministerii quæstum facientia. 3° Vi & Rapinâ [r] Vis est cum quis convocatis hominibus vim fecerit, quo quis verberetur, & pulsetur, neq; homo occisus sit. Item, [s] cum quis cum hominibus armatis possessorem domo agrove suo dejecerit, expugnaverit. Rapina est cum quis [t] Telis & armis bona alicujus rapuerit: [u] Armorum verò & telorum appellatione omnia ex quibus homines nocere possunt accipiuntur. Et [x] Crimen non dissimile

[e] D.48.8.1.
[f] D.48.8.1.
[g] D.48.8.1.
[h] D.48.8.15.
[i] C.9.18.1.
[k] C.9.17.1.
[l] D.48.5.34.
[m] D.48.5.6.
[n] D.48.5.38.
[o] D.48.5.29.
[p] D.48.5.8.
[q] D.3.2.4.
[r] D.48.6.10.
[s] D.48.6.2.
[t] D.48.6.3.
[u] D.48.6.11.
[x] C.9.12.9.

simile est, rapere, & scientem delictum, ei qui rapuit, raptam rem servare.

Contra personas publicas delinquitur. 1° Crimine læsæ majestatis, quod crimen est proximum sacrilegio, & definitur [a] Crimen majestatis quod adversus populum Romanum, vel adversus securitatem ejus committitur. Idem Perduellio dicitur, & is [b] Perduellionis reus est, qui hostili animo adversus remp. vel Principem est armatus. Atq; hoc crimen etiam committit is [c] Cujus operâ, consilio, dolo malo, consilium initum erit quo quis Magistratus populi Romani, quíve imperium potestatémve habet occidatur, quóve quis contra remp. arma ferat, quíve hostibus populi Romani nuntium literásve miserit, signúmve dederit, fecerítq; dolo malo quo hostes populi Romani consilio juventur adversus rempub. 2° Seditione, [d] Seditiosi autem sunt qui plebem contra remp. audent colligere; & seditionis etiam reus est [e] Cujus operâ dolóve malo consilium initum erit, quo cœtus conventúsve fiat, hominésve ad seditionem convocentur. 3° Conjuratione, [f] Quæ est cum alicujus dolo malo, jurejurando quis adactus est, quo quid adversus remp. faciat. Restant delicta contra res publicas, cujusmodi sunt 1° Crimen Peculatûs, quod committitur [g] si quis è pecunia publicâ quid auferat, intercipiat, vel in rem suam vertat. Sed & [h] Qui perforavit muros, vel inde aliquid abstulerit, peculatûs tenetur. 2° Crimen falsæ monetæ, quod est cum quis [i] adulterinam monetam cudit vel [k] si quis in aurum, argentum, æs publicum, quid indit, vel immiscet, vel quo quid indatur, immisceatur faciat, sciens, dolo malo, quo id pejus fiat. Item, [l] Si quis nummos aureos raserit, tinxerit vel finxerit, [m] Qui nummos falsa fusione formaverit. 3° Crimen Annonæ flagellatæ, est, cùm quis [n] contra annonam fecerit, societatémve coierit, quo annona carior fiat; cujusmodi crimen est [o] Annonam attemptare, & vexare, ut maximè Dardanarii solent, id est supprimere, & justo pretio non vendere.

a D.48.4.1.
b D.48.4.11.
c D.48.4.1.
d C.9.30. rubri.
e D.48.4.1.
f D.48.4.4.
g D.48.13.1.
h D.48.13. 11.
i C.9.24.1.
k D.48.13.1.
l D.48.11. 8.
m C.9.24.2.
n D.48.12.2.
o D.47.11.6.

Pro

Pro qualitate Criminis, sive delicti publici, supplicium, vel pœna æqualis subeunda est, unde prout delictorum, ita Pœnarum diversa sunt genera. Videlicet, [p] sunt pœnæ quæ aut vitam adimant, aut servitutem injungant, aut Civitatem auferant, aut Coërcitionem corporis contineant, aut damnum cum infamia, aut dignitatis aliquam depositionem, aut alicujus actûs prohibitionem. Et in his [q] Capitalis est quâ damnato vel Mors, vel servitus, vel civitatis amissio contingit. Mors contingit vel [r] vita adimitur, si damnatus aliquis sit, ut gladio in eum animadvertatur. Et [s] Mortem solam ultimum supplicium interpretamur. Servitus contingit [t] Pœnâ, quæ adimit libertatem, ut putà si quis in metallum, vel opus metalli sit damnatus, sed & [u] Quicunq; in ludum venatorium (id est ad depugnandum cum bestiis) fuerint damnati, servi pœnæ efficiuntur. Civitatis amissio contingit deportatione. Nam [x] Inter pœnas est Insulæ deportatio, quæ pœna adimit civitatem, Item [y] Exilium est, & aquæ, & ignis interdictio, quibus eximitur caput de civitate. Et has pœnas consequitur bonorum omnium ademptio, Nam [z] Damnatione bona publicantur, cùm aut vita adimitur, aut civitas, aut servilis conditio irrogatur. Pœna non Capitalis est Relegatio, & interdictio, Corporalis coërcitio, & Pœna pecuniaria. [a] Relegatus is est, cui Provinciâ, vel Româ, vel continentibus ejus perpetuò, vel ad tempus interdicitur. [b] Differentia est inter Deportationem, & relegationem, nam deportatio civitatem, & bona adimit, relegatio neutrum tollit, nisi specialiter bona publicentur. [c] Relegatorum duo sunt genera, quidam qui in Insulam relegantur, sunt qui simplicitèr, ut provinciis iis interdicatur, non etiâ insula adsignetur. Item [d] in certâ parte provinciæ moraturus relegari potest, ut forte non excedat civitatem aliquam, vel provinciam non egrediatur; [e] Potest & Præses quendam damnare ne domo suâ procedat. [f] Carcer verò ad continendos homines non ad puniendos haberi debet. [g] Corporalis coërcitio est fustium admonitio, flagellorum castigatio,

p D.48.19.6. & 8.
q D.48.19.2.
r D.48.19.8.
s D.48.19. 21.
t D.48.19. 8.
u D.48.19.8.
x D.48.22.6.
y D.48.1.2.
z D.48.20.1.
a D.48.22. 14.
b D.48.22. 14.
c D.48.22.7.
d D.48.22.7.
e D.48.22.9.
f D.48.19.8. 9.
g D.48.19.7.

castigatio, vinculorum verberatio. Deniq; Pœna pecuniaria [h] mulcta est, quæ est specialis peccati animadversio pecuniaria, Et [i] mulcta ex arbitrio ejus venit, qui mulctam dicit, & [k] mulcta ibi dicitur ubi specialis pœna non est imposita. Et [l] Placet ut Præsides iis qui pœnam pecuniarum gentes eludant, coërcitionum extraordinariam inducant. Ad pœnas verò publicas omninò pertinet, quòd earum pleraſq; sequatur infamia, [m] Existimatio enim in delicto auctoritate legum aut consumitur, aut minuitur: Consumitur existimatio, quoties magna capitis diminutio intervenit, veluti cùm libertas adimitur, & aquâ, & igne interdicitur, quæ in personâ deportatorum venit. Minuitur existimatio, quoties manente libertate circa statum dignitatis plectimur, sicuti cùm relegatur quis, vel ordine movetur, vel cùm prohibetur honoribus publicis fungi, vel cùm plebeius fustibus cæditur. [n] Ictus verò fustium infamiam non importat, sed causa propter quam id pati meruit, si ea fuit quæ infamiam damnato irrogat, Et [o] Crimen vel pœna paterna nullam maculam filio infligere potest. Nam unusquisq; ex suo admisso sorti subjicitur, nec alieni criminis successor constituitur. Atq; hujusmodi pœnæ sunt sive supplicia ad quæ subditi propter delicta obligentur, quæ tamen ex speciali gratiâ principis vel minuuntur, vel remittuntur, ita [p] Divus Pius in eum qui uxorem in adulterio deprehensam occidit leviorem pœnam irrogandam esse rescripsit, Quia difficile est justum dolorem temperare. Et [q] In periculo capitis constitutus, si adversarium corruperit, ipsi pœna remittitur, quia Principes ignoscendum ei censuerunt qui sanguinem suum qualiter qualitèr redemptum voluit.

h D.50.16. 131.
i D.50.16. 131.
k D.50.16. 131.
l D.48.19.1.
m D.50.13.5.
n D.3.2.22.
o D.48.19. 26.
p D.48.5.38.
q D.48.21.1.

SECT. 10.

De Iure Officii publici.

Ius, sive Obligatio officii publici est, ex quâ quis ob personam

nam publicam quam sustinet reip. tenetur; veluti Curator rerum, & operum publicorum, & Magistratus: quorum utriq; debent de iis quæ ad Officium pertinent Rationem reddere, & pro Delictis quibusdam quæ circa ipsorum officia contingunt, si commissa fuerint, satisfacere. Ad officium Curatoris pertinet, in rebus publicis tuendis, & administrandis, Necessitati, & utilitati reip. prospicere. Ad officium Magistratus, Moribus & Disciplinæ publicæ intendendo, Honestatem, & Tranquillitatem publicam procurare Delicta quæ circa officium publicum contingunt, sunt, Crimen Ambitus, cùm quis per coempta suffragia ad officium promovetur. Concussionis, cùm quis colore officii, res alienas extorquet. Repetundarum cùm quis pro mercede quid magis aut minus in officio facit: & Residui, cùm de pecuniâ publicâ alicui commissâ aliquid dolose detinetur.

POstremò, pro personâ quam quis sustinet in rep. oritur officii publici obligatio: qualis est eorum 1° Qui res ad civitatem, vel remp. pertinentes administrant; qui Operum vel Locorum publicorum curam demandatam habent, à quibus [a] Ratio administrationis secundum fidem acceptorum, & datorum ponenda est. Et [b] Reip. non dolum solummodò, sed & latam negligentiam, & hoc ampliùs diligentiam præstare debent. Quòd si plures fuerint, [c] Eorum officium individuum est, ac periculum commune; Vnde [d] Curatores communis officii, divisa pecuniâ, quam omnibus in solidum dari placuit, periculo vice mutuâ non liberantur. Et [e] Curator etiam nomine Collegæ tenetur, si intervenire, & prohibere cum potuit, Indemnes autem esse oportet, qui non segniùs officio suo functi sunt. 2° Nec minor est obligatio Magistratûs, cui honestas, & tranquillitas publica curæ esse debet, unde præscribitur, Vt [f] curet is qui provinciæ præest malis hominibus provinciam purgare, Et [g] Congruit bono & gravi Præsidi curare, ut pacata & quieta provincia sit; quod

[a] D.50.8.2.
[b] D.50.8.6.
[c] D.50.1.11.
[d] D.50.8.3.
[e] D.50.8.9.
[f] D.1.18.3.
[g] D.1.18.13.

non difficilè obtinebit, si sollicitè agat ut malis hominibus provincia careat. Vt verò alios meliores reddat, in primis seipsum gravitèr & honestè gerere debet, Itaq; [h] Præses in adeundo facilem se præbeat, sed contemni non patiatur. Et proindè, Provinciales in ulteriorem familiaritatem admittere prohibetur, quòd Ex conversatione æquali contemptio nascitur dignitatis. Sed & in cognoscendo neq; excandescere adversus eos quos malos putat, neq; precibus calamitosorum illacrymari oportet. Id enim non est constantis & recti Iudicis, cujus animi motum vultus detegit, & summatim, ita Ius reddere debet, ut autoritatem dignitatis ingenio suo augeat. Deinde, [i] Non in totum Xeniis abstinere Proconsul debet, sed modum adjicere. De iis, placuit Imperatoribus vetus Proverbium, ὅτε πάντα, ὅτε παντοτε, ὅτε παντὸς, καὶ παντων, id est, neq; omnia, neq; quovis tempore, nec ab omnibus. Nam, valdè inhumanum est à nemine accipere; sed passim, vilissimum, & ab omnibus, avarissimum. Sed & [k] In Provinciam proficisci Proconsulem melius est sine uxore: sed, & cum uxore potest, dummodò sciat, senatum, Cottâ & Messalâ consulibus, censuisse, ut si quid uxores eorum qui ad officia proficiscantur, deliquerint, ab ipsis ratio & vindicta exigatur. Vterq;, & Curator, sive Rei, sive Operis publici, & Magistratus, ulteriùs obligantur ex delictis specialibus quæ occasione officii publici committi solent. Cujus generis sunt, 1° Crimen Ambitûs, quod committitur, cùm quis in petitione Magistratûs, vel officii pubici, delinquit contra Leges, conductis nimirum, vel depravatis suffragiis. Quod crimen etiam imputatur illi [l] qui ante solutionem debiti primitùs contracti, idem officium repetere audet. 2° Crimen Concussionis, quod (uti definit Cujacius) est Terror injectus ab eo qui Magistratum habet, pecuniæ vel Rei alterius extorquendæ causa. 3° Crimen Repetundarum, quo tenetur, [m] Qui cùm potestatem haberet, pecuniam ob judicandum decernendúmve accepit. Vel quo magis aut minùs quid ex officio suo faceret. 4° Crimen Resi-

[h] D.1.18.19.

[i] D.1.16.6.

[k] D.1.16.4.

[l] C.9.28.1.

[m] D.48.11.9.

Residui, quo tenetur [n] qui publicam pecuniam delegatam in usum aliquem etinuit, neq; in eum consumpsit. Deniq;, ut delicta quædam sunt Magistratibus, & iis qui officia publica gerunt, specialia, ita & pœnæ speciales sunt, quæ iisdem imponuntur. Ita, [o] Pœna est ne quis negociis publicis interveniat, ut, cùm alicui sententia præcipitur δημοσίων ἀπέχεσθαι, id est, publicis abstinere. [p] Item, potest alicui pœna injungi, ne honores sivè Magistratus adipiscatur; [q] Sed & potest alicui unus honor interdici. Et is, cui minore honore interdictum est, majorem petere non potest. Sed enim perquàm ridiculum, eum qui minoribus pœnæ causa prohibitus est ad majores aspirare. Item [r] Interdici solet Decurionibus ordine, vel ad tempus, vel in perpetuum. Et [s] Senator propter turpitudinem senatu moveri potest. [t] Senatu verò motus, Capite non minuitur.

n D.48.13. 12.

o D.48.19.9.

p D.48.19.9.

q D.48.19.9.

r D.48.19.9.

s D.1.9.2.
t D.1.9.3.

PARS QVINTA.

SECT. I.

De Iudicio in Genere.

IVdicium est Iuris controversi in foro civili exploratio. Quod cognitione, Decreto, & Coërcitione expeditur. Cognitio est cùm id de quo controvertitur utrinq; à Litigantibus aperitur, aut à Iudice coram litigantibus examinatur. Decretum est, quod Iudex circa rem controversam fieri statuit, cùm inter cognoscendum, quod Interloquutorium, tum, post quàm plene cognovit, quod Decretum Finale appellatur. Coërcitio est vis, quâ Iudex id quod decrevit ad exitum perducit & ad Bona scilicet, vel ad Personas extendi solet. In Iudicio verò in Genere considerandæ sunt Personæ, Res, & Actus Iudiciales.

IN Iurisprudentiæ studio, primum est quid sit Ius cujusq; observare: Secundum, si de eo controversum fuerit, quomodo in Iudicio explicari possit, intelligere. Est enim Iudicium, secundum Aristotelem in Politicis, [a] χρίσις τῦ δικαίυ κ) ἀδίκυ, Τῆς πολιτικῆς κοινωνίας τάξις, Iusti & Injusti dijudicatio, Civilis societatis Ordo. Vnde à Iureconsultis insignitur, [b] Legitimum præsidium, sive [c] legitimus trames quo calumniantium iniquitates expelluntur. Et idcircò [d] Iudiciorum vigor, Iurisq; publici tutela videtur in medio constituta, ne quisquam sibi permittere valeat ultionem. Iudicii verò fundamentum est [e] Causæ Cognitio quæ tunc intervenit, cùm de negocio aliquo, præsente

a I. c. 2.
b C. 3. 1. 14.
c I. proœm.
d C. 1. 9. 13.
e D. 4. 4. 3.

præsente utrâq; parte & auditâ, disceptatur. Deinde [d] cognitione ad decretum proceditur. Est enim [f] Decernere, post causæ cognitionem statuere. Et deniq; ut decretum effectum sortiatur, supremum, est Potestas Coërcitionis, Τὸ δίκαιον ἢ πειθαρχίας. Nam [g] Iurisdictio sine Coërcitione nulla est. Iudex verò pro Iurisdictione & Qualitate negocii, vel [h] Pecuniariâ mulctâ, vel [i] Pignoribus captis, vel [k] corporali animadversione coërcere potest.

[d] f D.1.4.1.
[g] D.1.21.5.
[h] D.1.5.2.
[i] D.39.2.4.
[k] D.48.1.2.

SECT. 2.

De Personis Iudicialibus & de Partibus.

Personæ Iudiciales sunt, qui Iudicium constituunt, nimirum, Partes, Assistentes, & Iudex. Partes sunt inter quos Lis est, scilicet Actor qui ad Iudicium provocat, & Reus qui se defendit. Et Idonei sunt qui in Iudicio versentur, Maiores qui rerum suarum arbitrium habent, & Quibus auxilium Fori permittitur. Minùs idonei sunt qui aliorum autoritate egent, vel Qui Iure fori exciderunt.

AD Iudicium constituendum Personæ primùm concurrunt. Illi scilicet qui suo nomine vel alieno contendunt, & Qui inter hos judicandi potestatem habent. In his primò ratio habenda est eorum qui suo nomine agere possunt. Aliis enim Ætas, aliis delictum obstat. Pupillis & Minoribus Ætatis defectus. Nam [a] sicut Pupillus Tutore autore agere & conveniri potest, ita adultus curatore consentiente litem intendere & excipere debet. Ratione Delicti à Iudicio repelluntur Contumaces, & qui Exleges pronunciati sunt, donec purgetur vitium, & stent Recti in Curiâ. Ita [b] Ei qui decreto Prætoris non obtemperat, Iurisdictio debet denegari. Et [c] Illi quibus Capitis dimi-

[a] C.3.6.1.
[b] D.4.6.26.
[c] D.4.5.2.

diminutio contigit, ſive Libertatis ſive civitatis diminutione, non poſſunt penitùs conveniri, nedum contra alios agere.

SECT. 3.

De Aſsiſtentibus.

Aſſiſtentes ſunt qui pro aliis in Iudicio interveniunt. Procuratores ſcilicet, qui in iis quæ ſunt Facti proponendis aſſiſtunt, & Advocati qui ad ea quæ ſunt Juris explicanda adhibentur. Vtrique Idonei cenſentur, ſi eorum Peritia publicè ſit delecta, & Induſtria ab Actore & Reo impetrata. Minùs idonei ſunt, qui publicè probati non ſunt, & qui mandato deſtituuntur.

ALieno nomine in Iudicio verſantur, Procuratores & Advocati, qui adhibentur, quod publicè utile eſt, ut controverſiæ meliùs ordinentur, &, quod privatorum intereſt, ut aliorum abſentiæ vel Imperitiæ, aliorum ſedulitate & peritiâ ſuccurratur. Ita de Procuratoribus Iureconſultus, [a] Vſus Procuratoris perquàm neceſſarius eſt, ut qui rebus ſuis ſupereſſe ipſi vel nolunt vel non poſſunt, per alios poſſint vel agere, vel conveniri. Hujuſmodi verò Procuratores, primò ex eorum numero eſſe debent qui autoritate publicâ admiſſi ad forum pertinent. Ita enim conſtituit Imperator, [b] Alios eſſe in maximis glorioſiſſimorum Magiſtratuum judiciis Procuratores, alios qui judicibus pedaneis miniſtrent in Litibus. Deindè, Mandato Partis niti debent; quippe [c] Procuratorem eum accipere debemus, cui mandatum eſt, vel ſaltem qui cavit de rato; quòd, [d] Qui alieno nomine agit id ratum habiturum eum ad quem ea res pertinet cavere debet. Id enim ad defenſionem Rei abſentis permittitur, quia [e] Publicè intereſt etiam ignorantes defendi. Et [f] Defendere eſt id facere quod dominus in litem faceret, & cavere idone è, de Iu-

a D.3.3.1.
b C.2.13.27.
c D.46.7.3.
d D.3.3.39.
e D.3.3.33.
f D.3.3.35.

Iudicato scilicet solvendo. Vnde Iureconsultus [g] Qui alium defendit satisdare cogitur. Nemo enim alienæ litis idoneus defensor sine satisdatione intelligitur.

[g] D.3.3.46.

Ad Advocatos, qui & Patroni causarum dicuntur, quod attinet, [h] Advocatos accipere debemus omnes omninò qui causis agendis quoquo studio operantur. Vel, ut pleniùs describit Imperator, [i] Advocati sunt qui dirimunt ambigua fata causarum, suæq; defensionis viribus in rebus publicis & privatis lapsa erigunt, fatigata reparant, & non minùs provident humano generi quàm si præliis atq; vulneribus patriam parentesq; salvarent. Nec enim soli imperio militant, qui gladiis, clypeis, & thoracibus nituntur, sed etiam causarum patroni, qui glorioſæ vocis confisi munimine, laborantium spem, vitam, & posteros defendunt. Sed & Advocati cujusq; Tribunalis certi numero erant, quorum [k] nomina matriculæ fori inscribebantur non sine examine & delectu. Ita Imperator, [l] non aliter consortio advocatorum aliquis societur, nisi prius in examine Rectoris provinciæ ex qua oriundus est gesta confiant, quibus pateat cohortali vitæ ac fortunæ (quæ vilior erat) eum minime subjacere. Iurisperitos etiam Doctores jubemus juratos sub gestorum testificatione depromere, esse eum qui subrogari voluerit peritiâ Iuris instructum.

[h] D.50.13.1.
[i] C.2.7.14.
[k] C.2.7.13.
[l] C.2.7.11.

Advocatis verò pro mandato est Salarium, quod in Iure [m] Honorarium dicitur, quod pro modo litis, proq; Advocati facundiâ, & fori consuetudine, & judicii in quo acturus est æstimatione, adhiberi debet, dummodo licitum Honorarium quantitas non egrediatur. [n] Licita autem quantitas intelligitur pro singulis causis usq; ad centum aureos.

[m] D.50.13.1.
[n] D.50.13.1.

SECT. 4.

De Iudice.

Iudex est qui Iudicio præest. In quo requiritur, ut sit Com-

petens & indifferens. Competens est, qui justâ autoritate fulcitur, id est, qui Iurisdictionem habet Ordinariam, vel Propriam ratione Magistratûs vel Personæ quam sustinet in Rep. aut qui Iurisdictionem habet delegatam, id est, Iudex ab eo qui Iurisdictionem ordinariam habet substituitur. Indifferens est, qui Litigantibus æquè favet. Iudicem declinare licet, si sit Incompetens; recusare, si sit suspectus. Incompetens est, qui aut omnino Iurisdictionem non habet, aut non habet in causa de quâ controvertitur. Suspectus est qui vel Gratiâ, vel sordibus, id est, Quæstu inflecti potest.

INter Personas qui Iudicium constituunt, supremum locum Iudex obtinet. In quo primùm potestas, deinde Voluntas rectè judicandi exigitur. Et ad Potestatem quod attinet, præter Magistratus eosq; qui Iurisdictionem propriam habent, considerandum est, & Qui Iudices dari possunt, & qui Judices dare. Etenim [a] Non omnes Iudices dari possunt, Quidam enim Naturâ, quidam moribus, quidam Lege impediuntur. Naturâ, ut Surdus, Mutus, perpetuò Furiosus, & Impubes, quia Iudicio carent. Moribus, Fœminæ & Servi, quia receptum est ut civilibus officiis non fungantur. Lege impeditur qui Senatu motus est. Ætatis verò gratiam princeps facere potest. Vndè, [b] Si minor Prætor vel consul Ius dixerit sententiámve protulerit, valebit. Princeps enim qui ei Magistratum dedit, omnia agere decrevit. Præterea, in eo qui Iudex datur, requiritur peritia Iuris. Ita Imperator, [c] Non ex usu fori existimamus, ut aliqui Iudicum nomen gestent, qui Legum sunt imperiti, neq; ullum in rebus gerendis usum obtinent. Nam si Iuris peritiâ non habeant, sed aliunde emendicent rectè judicandi formulam, quomodo non maximam ea res labem Reip. inferat, si disceptandarum litium potestatem non his tradamus, qui per se sciunt quid facto opus sit, sed finamus ipsos alios quærere à quibus liceat eos perdiscere quæ in judicando eos proloqui oportet?

a D. 5. 1. 12.

b D. 42. 15. 7.

c N. 82. 1.

[d] Iudices

[d] Iudices autem dare possunt quibus hoc lege vel consuetudine conceditur. Lege, sicut Proconsul; More vel consuetudine, Præfectus urbis propter vim imperii, cæteriq; Romæ Magistratus. Iudicis enim munus ei non competit [e] Qui neq; à Principe potestate aliquâ præditus, neq; ab eo qui dandorum Iudicum potestatem habet datus est, nisi Iurisdictioni præsit, vel ex Compromisso sumptus sit, vel aliquâ lege confirmatus. Deinde, in Iurisdictione delegandâ observandum est, quòd, etsi [f] quæ jure Magistratûs competunt mandari possunt, [g] Quæcunq; specialiter Lege vel constitutione Principum tribuuntur, mandata Iurisdictione non transferuntur. Et [h] Quamvis more majorum Iurisdictio transfertur, merum imperium quod Lege datur non transit. Quia [i] Nemo potest gladii potestatem vel alterius coërcitionis, sibi datam ad alium transferre, nisi Iurisdictioni cohæreat. Nam [k] Imperium quod Iurisdictioni cohæret, Iurisdictione mandatâ simul transit. Deniq; [l] Mandatam sibi Iurisdictionem mandare alteri quis non potest, quia qui mandatam Iurisdictionem suscepit, proprium nihil habet, sed ejus qui mandavit Iurisdictione utitur.

Secundò requiritur ut Iudex sit indifferens. [m] Vnde generali lege decernitur, Neminem sibi esse Iudicem, vel sibi jus dicere debere. In re enim propriâ iniquum admodum est alicui licentiam sententiæ tribuere. Et [n] Qui Iurisdictioni præest, neq; sibi jus dicere debet, neq; uxori, nec liberis suis, nec cæteris quos secum habet. Sed & [o] Observandum est, ne is Iudex detur quem altera pars nominatim petit, nisi hoc specialiter à Principe ad verecundiam petiti Iudicis permittatur. Et ex eâdem ratione, [p] Idem in eodem negotio non sit Advocatus & Iudex, quoniam aliquem inter Arbitros & Patronos delectum esse oportet.

Atq; hæc de Personis Iudicialibus.

[d] D. 5. 1. 12.
[e] D. 1. 12.
[f] D. 1. 21. 1.
[g] D. 1. 21. 1.
[h] D. 1. 21. 1.
[i] D. 50. 17. 70.
[k] D. 1. 21. 1.
[l] D. 1. 21. 1.
[m] C. 3. 5. 1.
[n] D. 2. 11.
[o] D. 5. 1. 47.
[p] C. 2. 6. 6.

SECT. 5.

De Rebus Iudicialibus & de Duratione Causæ.

Res Iudiciales, sunt Causæ de quibus in Judicio controvertitur, quæ actionem ex parte Agentis, exceptionem ex parte rei complectuntur.

Actio est Jus secundum certam formulam prosequendi in Judicio; eaq; vel Civilis quæ à legibus sivè à Jure præscribitur, vel Prætoria, quæ, ubi deficit Civilis, à magistratu conceditur. Exceptio est Ius quod ad defensionem sui Reus Actori objicit, vel dilatoria quæ actionem differt, vel Peremptoria quæ prorsus tollit.

In causis verò Iudicialibus, observanda sunt earum Duratio, Evidentia & Meritum.

Duratio causæ est ex quâ in Iudicio deduci & continuari potest. Et habetur, dum Lis integra est, & Terminus ad agendum pendet. Lis integra est, cui non obstat, 1. Pactum de non agendo. 2. Transactio. 3. Compromissum. & 4. Res Iudicata. 1 Pactum de non agendo est conventio nuda de lite non intentandâ. 2. Transactio est conventio ex causâ de Lite intentatâ dimittendâ. 3 Compromissum est cùm ad privati alicujus arbitrium causa refertur, promissâ invicem pœnâ ni sententiæ arbitri stetur. 4 Res Iudicata est, cum sententia in alio judicio latæ acquiescitur. Terminus ad Agendum, est vel inchoandi Judicii cui obstat Præscriptio, vel Prosequendi cui obstat Peremptio Instantiæ. Præscriptio est cùm quis per lapsum legitimi Temporis, 30 scilicet vel 40 annorum, à Lite intentandâ præcluditur. Peremptio Instantiæ, cùm intra legitimum tempus, quod est trium annorum, judicium non finitur.

Perso-

PErsonis quæ Iudicium constituunt consideratis, consequens est videre quæ res in judicium deducantur, (quæ sunt Materia Iudiciorum,) & quænam in iis requirantur. Res sivè Materia Iudiciorum sunt Causæ de quibus controvertitur, ad quas, Actiones & Exceptiones competunt. Et [a] Nihil aliud est Actio quam Ius, quod sibi debetur in Iudicio persequendi. Et generaliter, [b] Actio dicitur, sive in Rem sivè in Personam sit petitio. Et quamvis reverâ [c] Minus est actionem habere quam rem, propter auxilium tamen quod in judicio suppeditatur, [d] Is qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur. [e] Quoties verò plures concurrunt Actiones ejusdem rei nomine, unâ quis experiri debet. Deinde [f] Actiones aliæ ex legitimis & civilibus causis descendunt, aliæ sunt quas Prætor ex suâ Iurisdictione comparatas habet. [g] Exceptio est quasi quædam exclusio quæ opponi Actioni cujusq; rei solet, ad excludendum id quod in Intentionem condemnationémve deductum est. Et [h] Modò eximit Reum damnatione, modò damnationem minuit. Deindè, [i] Exceptiones aut Temporales sunt & Dilatoriæ, aut Perpetuæ & Peremptoriæ. Temporales & dilatoriæ sunt, quæ non semper locum habent, sed evitari possunt, qualis est, cum quis dicit non licere procuratorio nomine agere; nam non prorsus litem inficiatur, sed personam evitat. Perpetuæ & peremptoriæ sunt quæ semper locum habent, nec evitari possunt, qualis est rei Iudicatæ. Sed & [k] Exceptiones opponuntur, aut quia factum sit quod fieri oportet, ut Rei venditæ & traditæ; aut quia factum sit quod fieri non oportuit, ut Exceptio Doli mali; aut quia factum non sit, quod fieri debuerat, ut Bonorum possessionis non datæ. Et [l] Cui damus actiones, eidem & exceptionem competere multo magis quis dixerit. Tum [m] Nihil interest ipso jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur. Et [n] Non utiq; existimatur confiteri de intentione Adversarii qui Exceptione utitur. Deniq; [o] Nemo prohibetur pluribus exceptionibus uti, quamvis

a D.44.7.51.
b D.50.16.178.
c D.50.17.204.
d D.50.17.15.
e D.50.17.43.
f I.4.6.3.
g D.44.1.2.
h D.44.1.22.
i D.44.1.3.
k D.44.1.20.
l D.50.17.156.
m D.50.17.112.
n D.44.1.9.
o D.44.1.8.

diversæ sint. Vndè [p] Nemo ex his qui negant se debere, prohibetur etiam aliâ defensione uti. Quia [q] Favorabiliores Rei potius quàm Actores habentur. Nam [r] Cum quis agit, certus esse debet, cum sit in potestate ejus quando velit experiri, & antè debet rem diligentèr explorare, & tunc ad agendum procedere.

In causâ de quâ agitur, requiritur, ut duret ut in Iudicium deduci possit. Cui obstat, primùm Pactum de non agendo quod inter ipsas partes gratis intercedit. Nam [f] In omnibus quæ ad rem familiarem respiciunt paciscì licet. Ita [t] De furto Lex paciscì permittit, sed &, si quis paciscatur ne Depositi agat, pactum valet. [u] Quod si paciscar ne furti agam, vel Injuriarum si feceris, pactum continet turpem causam, & non est observandum. Expedit enim timere Furti vel Injuriarum pœnam: sed, post admissa hæc paciscì possumus. Secundò, ne causa in Iudicium deducatur, obstat Transactio. Nam [x] Causas vel Lites transactionibus legitimis definitas resuscitari non oportet. Immo [y] Qui fidem licitæ transactionis rupit, non exceptione tantum submovebitur, sed & pœnam si quam promiserat præstare cogetur. [z] Qui verò transigit, quasi de re dubiâ & lite incertâ transigit. Et perficitur aliquo dato vel retento. Nam, [a] Transactio, nullo dato, vel retento, vel promisso, non procedit. Et inter alios facta, aliis non nocet. Quia Privatis Pactionibus non dubium est non lædi jus cæterorum. Ita, solo consensu partium, Iudiciis aditus præcluditur. Vlteriùs obstant, aliorum autoritate interveniente, Compromissum, & res Iudicata. Et Compromissum sive Arbitrium est, cum privato alicui controversia dijudicanda refertur. [c] Arbitriorum autem duo sunt genera; unum ejusmodi, ut ad boni viri arbitrium redigi debeat, etsi nominatim persona sit comprehensa cujus arbitratu fiat; Alterum est ejusmodi, ut sive æquum sit, sivè iniquum, parere debeamus. Quod observatur, cum ex Compromisso ad arbitrum itur, id est, cum partes pœnam invicem promittunt nisi sententiæ arbitri stetur. Vnde

[d] stari

[p] D.50.17.43.
[q] D.50.17.125.
[r] D.50.17.42.
[f] D.2.14.7.
[t] D.2.14.7.4.
[u] D.2.14.27.
[x] C.2.4.16.
[y] D.2.15.16.
[z] D.2.15.1.
[a] C.2.4.38.
[c] D.17.2.76.

[d] stari debet sententiæ arbitri quam de re dixit, sive æqua sive iniqua, & sibi imputet qui compromisit. Multo magis, ne causa iterum in Iudicium deducatur, obstat Res judicata quæ ab autoritate publicâ procedit. [e] Res enim Iudicata dicitur, cum finem controversiarum pronunciatione Iudicis accepit; quod vel condemnatione vel absolutione contingit, Et tunc habetur, cum pars contra quam lata est, [f] sententiæ acquievit; quod præsumitur, [g] cum tempus intra quod provocandum est, sit elapsum. Ita [h] Post rem judicatam nihil quæritur. Nec instaurari finita rerum judicatarum patitur autoritas.

d D. 4. 8. 27.

e D. 42. 1. 1.

f C. 7. 52. 5.
g C. 7. 52. 3.
h C. 7. 52. 5.

His ex causis expresse à Iudicio receditur, Tacitè quod ad prosecutionem spectat, Præscriptione, & Peremptione: Præscriptione scilicet triginta annorum in omnibus causis, in nonnullis minori spatio. Ita Imperator [i] Actiones ultra triginta annorum spatium minimè protendantur, sed siqua res vel jus aliquod postuletur, vel persona qualicunq; actione vel persequutione pulsetur, nihilominus erit agenti triginta annorum præscriptio metuenda. [k] Quæ ergo antea non motæ sunt actiones, triginta annorum jugi silentio ex quo jure competere cœperunt, vivendi ulterius non habent facultatem, non sexûs fragilitate, non absentiâ, non militiâ contra hanc legem defendendâ, sed pupillari ætate duntaxat huic eximendâ sanctioni. Postremò, Perimitur potestas agendi, lapso termino ad finiendam causam præstituto. Ita etiam Imperator; [l] Ne lites fiant immortales, & vitæ hominum modum excedant, censemus omnes lites de quibuscunq; causis pro quibus hominibus inter se litigandum est, non ultra triennii metas post litem contestatam esse protrahendas.

i C. 7. 39. 3.

k C. 7. 39. 3.

l C. 3. 1. 13.

SECT. 6.

De Evidentiâ Causæ.

Evidentia causæ est ex qua rei controversæ veritas apparet,

ret, & habetur in iis quæ plenè probant, & exceptione vacant. Plene probant 1° *notorietas facti, cùm de eo scilicet palam constat.* 2° *Præsumtio violenta, quæ infertur ex iustis causis vel circumstantiis.* 3° *Confessio Iudicialis, quâ pars cui quid objicitur verum esse agnoscit.* 4° *Testimonia plurium qui rei notitiam habent.* 5° *Instrumenta publice confecta. Exceptione vacant testimonia, cum Personæ testium sint honestæ conditionis, & utrîq; Partium æque favent, cum dicta sunt de certâ scientiâ, & scientiæ rationem certam annexam habent. Desideratur verò evidentia in iis, quæ minus plene probant, aut non carent exceptione. Minus plene probant.* 1° *Fama qua vulgo ita esse trad tur,* 2° *Coniecturæ quæ à causis remotioribus, aut circumstantiis contingentibus desumuntur.* 3° *Confessio Extraindicialis.* 4° *Testimonium singulare.* 5° *Instrumenta privata. Exceptione non Carent Testimonia, cum Personæ suspectæ sunt quod inhonestæ sint conditionis, vel alteri partium ex amore, aut odio propensiores, vel dicta sunt de iis quæ sensu non percipiuntur, vel absq; ratione prolata, vel suis aut aliorum dictis adversantia.*

SEcundò in causis Iudicialibus expendenda est Evidentia ex qua Iudici constat de veritate. Nam quandoq; [a] Non Ius deficit, sed probatio. Et primò veritas in eo apparet quod est notorium. Estq; [b] Notorietas (secundum Baldum) indubitata rei certitudo, quæ ita se vulgo exhibet, ut negari non possit, de qua dicitur, quod [c] Notorium probatione non indiget. Huic affinis videtur fama, sed fidem plenam non facit, nisi aliæ probationes adminiculentur, tunc enim [d] veluti consentiens fama confirmat rei de quâ quæritur fidem. Secundò, veritas ex præsumtione violentâ, vel necessariâ colligitur, quæ etiam valet si ejusmodi sit, quæ Iure confirmata reperiatur, ut Omnia in Inventario contenta ad ejus manus qui confecit pervenisse, quia hæc præsumtio in Iure reperitur, sic enim Iurisconsultus

a D. 26. 2. 30.
b Ad C. 9. 2. 7.
c Ad C. 9. 2. 7
d D. 22. 5. 3.

consultus. [c] Si Tutor inventario publicè confecto res pupillares conscripserit, secundum vires ejusdem scripturæ, Patrimonium pupilli exigi debet, neq; enim homo adeò stultus reperitur ut in publico Inventario scribi contra se aliquid patiatur. Sed & præsumitur etiam pro eo [f] quod verisimilius est, aut plerunq; fieri solet, hæc autem præsumtio probationem admittit in contrarium, itaq; [g] si Chirographum cancellatum fuerit, licet præsumtione debitor liberatus esse videtur, in eam tamen quantitatem, quam manifestis probationibus creditor sibi adhuc deberi ostenderit, rectè debitor convenitur. Tertiò ex confessione Iudiciali veritas habetur, unde [h] Post confessionem in Iure factam nihil quæritur, quia in Iure confessi pro Iudicatis habentur. Et [i] Qui in Iure confessus est, confessionem suam infirmare non potest, nisi per errorem sit confessus, quòd [k] Non fatetur qui errat nisi Ius ignoravit. Quartò, de rei veritate constare potest ex Testimoniis, unde Iurisconsultus, [l] Testimoniorum usus frequens est & necessarius, in his verò primò personarum, deinde dictorum ratio est habenda. Et ad personas quod attinet; [m] Testium fides examinanda est; Ideoq; in Persona eorum, exploranda erunt, Impimis conditio cujusque, utrum quis decurio, an plebeius sit, & an honestæ, & inculpatæ vitæ, an verò quis notatus sit, & reprehensibilis, an locuples, an egens, ut lucri causâ quid facile admittat. Etenim [n] Qui in testimonium adhibentur illæsa existimatione esse oportet, atq; tales qui ob constantem, sibiq; consentientem famam, dignitatis, opulentiæ, aut professionis, omnem longe calumniam superent, [o] Non humi repentes & prorsus rejectæ Conditionis homines, ignoti, & obscuri, ad dandum testimonium procedant. Sed & in teste requiritur ut sit indifferens, unde [p] Nemo Idoneus testis in re suâ intelligitur, & [q] Testis Idoneus Pater filio, aut filius patri non est. Immò ob eandem causam [r] Domestici testimonii fides improbatur, & [s] Idonei testes non videntur, quibus imperari potest ut testes fiant. Quinetiam propter gratiam,

[c] C. 5. 51. 13.
[f] D. 50. 17. 114.
[g] D. 22. 3. 24.
[h] D. 42. 1. 56.
[i] D. 39. 5. 29.
[k] D. 42. 2. 3.
[l] D. 22. 5. 1.
[m] D. 22. 5. 1.
[n] N. 90. 1.
[o] N. 90. 1.
[p] D. 22. 5. 10.
[q] D. 22. 5. 9.
[r] C. 4. 20. 1.
[s] D. 22. 5. 6.

w N.90.7.
x C.4.20.17.
y C.4.20.9.
z D.22.5.12.
a C.4.20.3.
b N.90.2.
c D.22.5.3.
d N.90.3.
e D.22.4.2.
f C.4.21.15.
g C.22.3.16.
h D.22.4.2.
i D.1.18.6.
k D.22.4.2.

t C.4.20.5. am, vel inimicitias testis suspectus redditur. Itaq; [t] Eos ad veritatem juvandam adhiberi oportet, qui omni gratiæ, & potentatui, fidem religioni Iudiciariæ debitam possint præponere. Et [u] Propter Inimicitiam testes à testimonio repelluntur. Imò [x] si quis testibus usus fuerit, iidemq; testes adversus eum in aliâ lite producantur, licebit ei personam eorum excipere, si ostenderit inimicitias inter illos posteà emersisse, ex quibus testes repelli leges præcipiunt. Ad dicta testium quod spectat, primùm testimonium singulare minùs probat; [y] Vnius enim testimonium nemo Iudicum in quâcunq; causa admittere debet, etiamsi præclaro Curiæ honore præfulgeat. [z] Vbi verò certus numerus testium non requiritur, duo sufficiunt, pluralis enim locutio duorum numero contenta est. Et hujusmodi testimonia minimè valent, cùm nec ratione, nec probatione aliâ confirmentur. Nam [a] Solam testatione prolatam, nec aliis adminiculis approbatam causam, nullius momenti esse certum est. Et [b] vana, & veluti per transennam concepta testimonia, nullâ ratione fidem obtinent. Sed nec satis probant testimonia, quæ vel nimiùm consentiunt, vel nimiùm inter se differunt, unde Iudex habet observare, [c] Vtrum unum eundemq; & præmeditatum sermonem attulerint, an ad ea de quibus interrogatum est ex tempore verisimilia responderint. E contrà, [d] Si qui planè contraria sibiipsis, aut inter se pugnantia protulerint, eorum testimonia rejici debent. Quintò, ad faciendam fidem instrumenta adhibentur, [e] quæ fiunt, ut quod actum est facilius probari possit, unde [f] Eandem fidem obtinet fides Instrumentorum, quam depositiones testium, maximè si sint publica. Nam [g] Census, & monumenta publica potiora testibus esse, Senatus censuit. Cæterùm Instrumentum debet esse Authenticum, nam [h] Qui convenitur non ex exemplo, sed ex authentico conveniendus est. Deindè errore vacare debet, nam [i] Veritas rerum erroribus gestorum non vitiatur, multò magis dolo, unde [k] Calumnioſam scripturam vim in Iudicio obtinere non convenit.

venit. Deinde varietas in instrumentis ipsis vim aufert. Ita, [1] Scripturæ diversæ fidem sibi invicem derogantes, ab unâ eâdemq; parte prolatæ, nihil firmitatis habent.

[1] C. 4. 21. 14.

SECT. 7.

De Merito Causæ.

Meritum causæ est, in quantum Juri congruit, quod recte æstimatur ex sententiâ Iuris, & ex Æquitate. Sententia Iuris est planus, & apertus sensus Juris, prout in universum intelligitur. Æquitas est Iuris ratio ad casus particulares, pro diversis circumstantiis accommodata. De merito causæ male statuitur, cùm quis exemplo, aut privato affectu ducitur. Exemplum est quod in causa consimili semel forte visis obtinuit. Affectus privatus est qui ad privatum sui vel alterius commodum inclinatur.

TErtio causæ meritum est perpendendum, idq; est quatenus ad Iustitiam accedit, quod primum ad expressam sententiam juris refertur, ad quam Iudices, maximè inferiores, respicere debent. [a] Etsi enim Iudices, de facto, prout ipsis religio suggerit, sententiam proferre possunt, non tamen ut facti quæstio est in potestate Iudicantis, ita Iuris autoritas ejus voluntati mandatur, sed autoritati legis reservatur. Et [b] Illud observare debet Iudex ne aliter judicet, quam legibus, aut moribus proditum est. Itaq; sensus verborum imprimis observandus est, quod [c] In re dubiâ melius est verbis edicti servire; idq; verum, etiamsi rigorem continere videantur, ita Iurisconsultus, [d] Per quam durum est, inquit, sed ita lex scripta est. Sed & causæ meritum etiam ad æquitatem referri potest, nam [e] Iudices, inquit Aristoteles, (præcipuè ii, penes quos aliquod juris est arbitrium) id quod æquum sibi videtur statuere possunt, & quemadmodum Lesbi fiam

[a] D. 4. 1. 39.

[b] I. 4. 17. 1.

[c] D. 14. 1. 1. 20.

[d] D. 40. 3. 12.

[e] 5. Ethic.

regulam, ita Ius ad factum, prout circumstantiæ requirent, inflictere; ita etiam Iurisconsultus, [f] Iudex æquitatem ante oculos habere debet, Etsi s in quæstione de bono, & æquo, sæpè sub autoritate Iuris scientiæ perniciosè erratur. Æquitatis autem est, primùm, defectum Iuris scripti ex certâ ratione supplere, ita Iurisconsultus, [h] Si quis vicinum impediat aggerem in agro suo reficere, qui factus vicino prodesse possit, permittenti non nocere, datur actio utilis, quia hoc æquitas suggerit, etsi jure deficiamur. Secundò ad æquitatem pertinet, pro ratione legis, ejus sententiam ultra verba extendere, aut intra verba restringere. Pro primo facit, quod [i] Non possunt omnes articuli sigillatim legibus comprehendi, sed cùm in aliquâ causa sententia earum manifesta est, is qui Iurisdictioni præest, ad similia procedere, atq; ita jus dicere debet. Nam, [k] quoties lege aliquid introductum est, bona occasio est, cætera, quæ tenduntad eandem utilitatem, vel interpretatione, vel certè Iurisdictione supplere. Pro posteriore, quòd æquitas scilicet restringat legem, Regula est, Cessante ratione, cessat lex. Ita cum mulier infamis esset quæ intra annum luctûs nubit [l] propter turbationem sanguinis, ea quæ intra legitimum tempus partum ediderat, statim potuit se in nuptiis collocare, quia nulla sanguinis turbatio metuebatur. Tertiò, æquitatis est rigorem juris mitigare. Ita Imperator, [m] Placuit in omnibus rebus præcipuam esse justitiæ, æquitatisq; potiùs, quàm stricti juris rationem. Et [n] Semper in dubiis benigniora sunt præferenda, & [o] In omnibus quidem, maximè tamen in jure æquitas spectanda est. Ita de merito causæ rectè statuitur, secundum sententiam Iuris, & æquitatem: haud ita ab exemplo, quippe [p] Non exemplis, sed legibus judicandum est. Et [q] præsidi provinciæ spectandum est, non quid Romæ fiat, sed quid fieri debeat. Pessimè verò statuitur à privato affectu, qui cùm nec à lege, nec ab exemplo procedat, jus novum dici potest, de quo Prætor decrevit; [r] Qui magistratum, potestatémve habebit, si quid in aliquem

f D.13.4.4.
g D.45.1.9.
h D.39.3.2.
i D.1.3.12.
k D.1.3.13.
l D.3.2.11.
m C.3.1.8.
n D.50.17.56.
o D.50.17.90.
p C.7.45.13.
q D.1.18.12.
r D.2.2.1.

quem novi juris statuerit, ipse quandoq; adversario postulante, eodem jure uti debet, scilicet ut quod ipse in personâ alterius æquum crediderit, id in ipsius quoq; personâ valere patiatur, [f] quod edictum, inquit Vlpianus, summam æquitatem habet, sine cujusquam justâ indignatione; quis enim aspernabitur idem jus sibi dici, quod ipse aliis dixit?

[f] D. 2. 2. 1.

Hæc de rebus Iudicialibus earumq; requisitis.

SECT. 8.

De Actibus Iudicialibus, & de conventione Partium.

Actus Iudiciales sunt, quæ à Iudice & litigantibus fiunt ut iudicium explicetur; & constant conventione Partium, disceptatione, & decisione litis. Conventio partium est actoris & rei ad forum Iudiciale deductio, quæ Citatione, & compulsione paratur, Comparitione & Cautionis præstatione impletur. Citatio est absenti ut in ius veniat ex mandato Iudicis denunciatio. Compulsio est Contumacis, id est, eius qui comparere nolit coërcitione aliquâ coactio. Comparitio est cùm actor & Reus seipsos in Iudicio præsentes sistunt, vel Procuratores, qui pro ipsis interveniant, constituunt. Cautionis præstatio est, cùm litigantes datis fideiussoribus, vel aliâ idoneâ cautione se invicem securos faciunt, id quod in Iudicio statutum fuerit haud irritum fore.

POst personas & Res Iudiciales, supereſt videre qui sint Actus, vel quis sit ordo & modus procedendi; In quo primum est Conventio Partium, quarum præsentia omninò est necessaria, quòd [a] De unoquoq; negotio præsentibus omnibus quos causa contingit judicari oportet. Conveniendus autem est Reus foro suo, nam [b] Actor sequitur

[a] D. 42. 1. 47.

[b] C. 3. 19. 3.

forum Rei, quod sortitur primùm à domicilio: sed & [c] Si quo constitit non Iure domicilii, sed tabernam, pergulam, Horreum, Armarium, vel officinam conduxit, ibiq; distraxit, egit, defendere se eo loci debet, deinde à contractu, & delicto. Nam [d] Si quis aliquid unde obligatio oritur, certò loci egit, etsi ibi domicilium non habet ibi debet se defendere, quod etiam ad delicta extenditur, quod [e] ubicunq; aliquis obligatur ibi contrahi videtur. Vt verò conveniant partes, vocando in Ius sive Edicto judicis, & Compulsione efficitur. [f] In jus vocare est juris experiendi causâ vocare, & [g] omnium actionum instituendarum principium est in jus vocatio. Vtiq; enim imprimis adversarius in jus vocandus est, id est, ad eum vocandus, qui Ius dicturus est. Magistratûs verò nomine denuntiatio fit tribus edictis, deinde edicto Peremptorio. Nam [h] ad Peremptorium Edictum hoc ordine venitur, ut primò quis petat post absentiam Adversarii Edictum primum, mox alterum [i] per intervallum, non minus decem dierum, [k] & tertium, quibus propositis, tunc Peremptorium impetret, quod inde hoc nomen sumit, quòd perimat disceptationem, hoc est, non patiatur adversarium tergiversari. Et [l] nonnunquam hoc Edictum datur post unum vel alterum, nonnunquam statim, quod appellatur unum pro omnibus. Et [m] in edicto Peremptorio comminatur is qui Edictum dedit, etiam absente diversâ Parte, cognitarum se & pronunciaturum. In jus autem vocatio fieri debet legitimo tempore; nam jure constitutum est, [n] ne quis Messium, Vindemiarumq; tempore adversarium cogat ad judicium venire, quia occupati circa rem rusticam in forum compellendi non sunt. Sed & [o] qui statim in Ius rapi nolit de se sistendo in Judicio cavere potest, Nam non quælibet injuria est duci in jus eum qui satis idoneum fi. ejussorem dedit. [p] Fidejussor autem judicio sistendi datus pro rei qualitate locuples dari debet; & fidejussor locuples videtur dari non tantum ex facultatibus, sed etiam ex conveniendi facilitate. [r] Contumax est, qui tribus edictis propositis,

c D. 5. 1. 19.
d D. 5. 1. 19.
e D. 5. 1. 20.
f D. 2. 4. 1.
g I. 4. 16. 3.
h D. 5. 1. 68.
i D. 5. 1. 69.
k D. 5. 1. 70.
l D. 5. 1. 72.
m D. 5. 1. 71.
n D. 2 12.
o D. 2. 8. 5.
p D. 2. 8. 2.
r D. 42. 1. 53.

positis, vel uno pro tribus, quod Peremptorium dicitur, præsentiam sui facere contemnit. Compellitur verò quis ad comparendum, contumaciam ejus plectendo; quod fit multis modis; & primò [f] Cum dies Edicti Peremptorii supervenerit, absens citatur, & si non responderit, agetur causa & pronunciabitur. Quòd [t] si is qui edictum Peremptorium impetraverit absit die cognitionis, is verò adsit adversus quem impetratum est, circumducendum est Edictum Peremptorium. [u] Pœnam autem contumacis non patitur, quem adversa valetudo vel majoris causæ Occupatio defendit. Comparitio habetur, cum quis seipsum sistit, vel procuratorem ad lites pro se constituit, quanquam [x] qui ad litem suscipiendam procuratorem dedit, causæ suæ adesse non prohibetur. Et [y] Procurator sub conditione, & ex die & usq; ad diem dari potest, & [z] ante litem contestatam libera potestas est, vel mutandi Procuratoris, vel ipsi domino judicium accipiendi: Post litem autem contestatam non nisi causa prius cognitâ. Sed & plures Procuratores quis constituere potest. [a] Qui verò dedit diversis temporibus procuratores duos, posteriorem dando priorem prohibuisse videtur, Et [b] pluribus procuratoribus in solidum simul datis occupantis melior est conditio, ut posterior non sit in eo quod prior petit Procurator. Postquam partes in Iudicio comparuerunt, ne Iudicium sit abusorium utrinq; Cautio interponi debet, ab Actore scilicet de lite prosequendâ, & de expensas solvendo; ita Imperator. [c] Non aliter libelli reis portigantur, nisi actor apud actorum publicorum monumenta fide dignũ fidejussorem præbeat; quod & ad terminum usq; litis assidebit, & actionem vel per se vel per legitimum procuratorem expediet: Et si injustè litem movisse ostendatur, sumptuum & expensarum nomine decimam ejus quantitatis partem, quæ libello comprehenditur reo restituet. A reo verò Cautio præstari debet de Iudicato solvendo, vel de in judicio usq; ad finem litis permanendo. [d] Iudicatum solvi expeditam habet quantitatem: in tantum

f D.5.1.73.
t D.5.1.73.
u D.42.1.53.
x D.3.3.69.
y D.3.3.
z D.3.3.16.
a D.3.3.31.
b D.3.3.32.
c N.112.2.
d D.46.7.9.

forum Rei, quod sortitur primùm à domicilio: sed & [c] Si quo constitit non Iure domicilii, sed tabernam, pergulam, Horreum, Armarium, vel officinam conduxit, ibiq; distraxit, egit, defendere se eo loci debet, deinde à contractu, & delicto. Nam [d] Si quis aliquid unde obligatio oritur, certò loci egit, etsi ibi domicilium non habet ibi debet se defendere, quod etiam ad delicta extenditur, quod [e] ubicunq; aliquis obligatur ibi contrahi videtur. Vt verò conveniant partes, vocando in Ius sive Edicto judicis, & Compulsione efficitur. [f] In jus vocare est juris experiendi causâ vocare, & [g] omnium actionum instituendarum principium est in jus vocatio. Vtiq; enim imprimis adversarius in jus vocandus est, id est, ad eum vocandus, qui Ius dicturus est. Magistratûs verò nomine denuntiatio fit tribus edictis, deinde edicto Peremptorio. Nam [h] ad Peremptorium Edictum hoc ordine venitur, ut primò quis petat post absentiam Adversarii Edictum primum, mox alterum [i] per intervallum, non minus decem dierum, [k] & tertium, quibus propositis, tunc Peremptorium impetret, quod inde hoc nomen sumit, quòd perimat disceptationem, hoc est, non patiatur adversarium tergiversari. Et [l] nonnunquam hoc Edictum datur post unum vel alterum, nonnunquam statim, quod appellatur unum pro omnibus. Et [m] in edicto Peremptorio comminatur is qui Edictum dedit, etiam absente diversâ Parte, cognitarum se & pronunciaturum. In jus autem vocatio fieri debet legitimo tempore; nam jure constitutum est, [n] ne quis Messium, Vindemiarumq; tempore adversarium cogat ad judicium venire, quia occupati circa rem rusticam in forum compellendi non sunt. Sed & [o] qui statim in Ius rapi nolit de se sistendo in Judicio cavere potest. Nam non quælibet injuria est duci in jus eum qui satis idoneum fi. ejussorem dedit. [p] Fidejussor autem judicio sistendi datus pro rei qualitate locuples dari debet; & fidejussor locuples videtur dari non tantum ex facultatibus, sed etiam ex conveniendi facilitate. [r] Contumax est, qui tribus edictis propositis,

c D. 5. 1. 19.
d D. 5. 1. 19.
e D. 5. 1. 20.
f D. 2. 4. 1.
g I. 4. 16. 3.
h D. 5. 1. 68.
i D. 5. 1. 69.
k D. 5. 1. 70.
l D. 5. 1. 72.
m D. 5. 1. 71.
n D. 2 12.
o D. 2. 8. 5.
p D. 2. 8. 2.
r D. 42. 1. 53.

positis, vel uno pro tribus, quod Peremptorium dicitur, præsentiam sui facere contemnit. Compellitur verò quis ad comparendum, contumaciam ejus plectendo; quod fit multis modis; & primò [f] Cum dies Edicti Peremptorii supervenerit, absens citatur, & si non responderit, agetur causa & pronunciabitur. Quòd [t] si is qui edictum Peremptorium impetraverit absit die cognitionis, is verò adsit adversus quem impetratum est, circumducendum est Edictum Peremptorium. [u] Pœnam autem contumacis non patitur, quem adversa valetudo vel majoris causæ Occupatio defendit. Comparitio habetur, cum quis seipsum sistit, vel procuratorem ad lites pro se constituit, quanquam [x] qui ad litem suscipiendam procuratorem dedit, causæ suæ adesse non prohibetur. Et [y] Procurator sub conditione, & ex die & usq; ad diem dari potest, & [z] ante litem contestatam libera potestas est, vel mutandi Procuratoris, vel ipsi domino judicium accipiendi: Post litem autem contestatam non nisi causâ prius cognitâ. Sed & plures Procuratores quis constituere potest. [a] Qui verò dedit diversis temporibus procuratores duos, posteriorem dando priorem prohibuisse videtur, Et [b] pluribus procuratoribus in solidum simul datis occupantis melior est conditio, ut posterior non sit in eo quod prior petit Procurator. Postquam partes in Iudicio comparuerunt, ne Iudicium sit abusorium utrinq; Cautio interponi debet, ab Actore scilicet de lite prosequendâ, & de expensas solvendo; ita Imperator. [c] Non aliter libelli reis porrigantur, nisi actor apud actorum publicorum monumenta fide dignũ fidejussorem præbeat; quod & ad terminum usq; litis assidebit, & actionem vel per se vel per legitimum procuratorem expediet: Et si injustè litem movisse ostendatur, sumptuum & expensarum nomine decimam ejus quantitatis partem, quæ libello comprehenditur reo restituet. A reo verò Cautio præstari debet de Iudicato solvendo, vel de in judicio usq; ad finem litis permanendo. [d] Iudicatum solvi expeditam habet quantitatem: in tantum

[f] D. 5. 1. 73.
[t] D. 5. 1. 73.
[u] D. 42. 1. 53.
[x] D. 3. 3. 69.
[y] D. 3. 3. 3.
[z] D. 3. 3. 16.
[a] D. 3. 3. 31.
[b] D. 3. 3. 32.
[c] N. 112. 2.
[d] D. 46. 7. 9.

tum enim committitur, in quantum Iudex pronunciaverit. [e] Hodie verò, inquit Imperator, Si quis conveniatur, satisdationem pro litis æstimatione dare non compellitur, sed pro suâ tantum personâ quòd in judicio permaneat usq; ad terminum litis. [f] Sciendum est autem possessores immobilium rerum satisdare non compelli, & [g] si calamitas fidejussoribus insignis, vel magna inopia accidit, causa cognitâ ex integro satisdandum erit. Satisdatio verò est non solum fidejussoria, sed & Iuratoria, & Promissoria. [h] Satisdatur enim cùm committitur alicujus promissioni cum jurejurando, quam juratoriam cautionem vocant. Sed & [i] Satisdationis appellatione etiam repromissio continetur, quâ contentus fuit is cui satisdatio debebatur.

e I.4.11.2.

f D.2.8.15.
g D.2.8.10.

h I.4.11.2.

i D.50.16. 61.

SECT. 9.

De Disceptatione causæ.

Disceptatio est eorum quæ utrinq; ad causam conducunt explicatio, quæ declaratione Actoris, Defensione Rei, Probatione, & Refutatione hinc inde continetur. Declaratio Actoris est descriptio causæ quam intentat. Defensio Rei est eorum quibus se tuetur Enarratio. Probatio est eorum quæ declarantur confirmatio, quæ Responsione Rei, Productione, Examinatione, & publicatione testium, & exhibitione instrumentorum perficitur. Refutatio est Confirmatio iuris quo Reus nititur, & probationum Actoris infirmatio, quæ itidem agentis Responsione, adversis testibus, & instrumentis contrariis expeditur.

POstquam partes in judicio convenerunt, ad disceptationem causæ proceditur, In quâ primum ut constet inter partes, & innotescat Iudici quid petitum sit, [a] actio edi solebat. [b] Edere autem erat in libello complecti, & copiam describendi facere; nam æquissimum videtur eum

a D.2.13.3.1.
b D.2.1.1.

eum qui acturus est Actionem edere, ut proinde sciat Reus utrum cedere an contendere ultra debeat. Et, si contendendum putet, veniat instructus ad agendum, causâ cognita qua convenitur. Deinde, cum editur libellus, statutum est ut [c] citatus viginti dierum spatium habeat, ut sive Iudicium recusare, sive debitum agnoscere, & amicè cum adversario suo transigere voluerit, ejus agendi licentiam habeat. Si Reus ulterius contendere velit, fit litis contestatio, quæ constat affirmatione unius, & contradictione alterius litigantis, ex quâ Causa in judicium, vel ad cognitionem Iudicis deducitur, nam [d] Res in judicium deducta non videtur si tantum postulatio simplex celebrata sit, vel actionis species ante Iudicem Reo cognita. Inter actionem enim editam & litem contestatam multum interest. Lis enim contestata videtur, cùm Iudex per narrationem negotii causam audire cæperit. Et [e] non solet deterior esse conditio eorum qui litem contestati sunt, quam si non, sed plerunq; melior: deinde, lite Contestatâ Iuramentum calumniæ utrinq; præstari debet. Ita imperator, [f] Sancimus in omnibus litibus non aliter neq; Actorem, neq; fugientem in primordio litis exercere certamina, nisi post narrationem & Responsionem principales personæ subeant Iuramentum; & Actor quidem juret, non Calumniandi animo Litem se movisse, sed existimando bonam habere causam, & Reus non aliter suis allegationibus utatur, nisi priùs & ipse juraverit quod putans se bonâ instantiâ uti ad reluctandum pervenerit: [g] si quis verò litigantium hujusmodi Iuramentum præstare noluerit, Actor quidem amissionem actionis, Reus verò condemnationem sustineat. Iuramento Calumniæ hinc inde præstito, ad probandum proceditur; [h] Actori verò incumbit probatio, ei scilicet qui dicit, non qui negat. [i] Licentia tamen conceditur ei cui onus probationis incumbit, Adversario suo de rei veritate jusjurandum inferre, ut judex juramenti fidem sequutus sententiam suam formare possit. Nam [k] cùm difficilis sit probatio, voluit prætor astringere

[c] N. 55. 3.
[d] C. 3. 9. 1.
[e] D. 50. 17. 86.
[f] C. 2. 59. 2.
[g] N. 124. 1.
[h] D. 22. 3. 21.
[i] D. 22. 3. 35.
[k] D. 11. 1. 2.

gere eum qui conveniatur, ex suâ in judicio responsione, ut vel confitendo vel mentiendo se oneret. Alterius verò
l D.42.2.6. confessio alteri non nocet, unde [l] Procuratorem fateri
m D.11.1.9. non sufficit, & [m] Alius pro alio non debet respondere co-
n D.11.1.11. gi, de se enim debet quisq; in judicio interrogari. Et [n] licet Respondendi pœnitere, si quis posteà plenius instructus instrumentis, vel epistolis amicorum de jure suo edoctus fuerit. Cum verò confessio adversarii Actorem non relevat, intentionem per testes & instrumenta probare
o C.3.11.1. potest, & [o] Iudex personarum vel instrumentorum gratiâ dilationem dare rerum necessitate cogitur: dilationes verò secundum locorum distantiam moderandæ sunt; itaq;
p C.3.11.1. [p] Si ex eâdem provinciâ ubi lis agitur, vel personæ vel instrumenta poscantur, non amplius quam tres menses indulgentur, si verò ex continentibus provinciis, sex menses custodiri justitiæ est. In transmarinâ dilatione novem
q C.3.11.1. menses computari oportet. Et [q] Iudices non sibi concessum intelligant dandæ dilationis arbitrium, sed eandem dilationem, si rerum urgentissima ratio flagitaverit, & necessitas desideratæ instructionis exegerit, non facile amplius quam semel, nec ullâ trahendi arte sciant esse tribuendam. Intra dilationem ad probandum testes volentes recipiendi, inviti compellendi sunt, ita enim de volen-
r D.22.5.22. tibus præcipitur, [r] Curet Magistratus cujusq; loci testari volentibus, & seipsos, & alios testes & signatores præbere, quo facilius negotia explicentur, & probatio rerum
s C.4.20.16. salva sit. De invitis compellendis, [s] Constitutio jubet in judiciis unumquemq; cogi testimonium perhibere de iis quæ novit, cum sacramenti præstatione, vel jurare se ni
t D.22.5.3. hil compertum habere. [t] Testes tamen non temerè evocandi sunt à signis, vel muneribus, perhibendi testimo-
u C.4.20.11. nii causa. Quinetiam [u] in exhibitione testium talis debet esse Cautio judicantis, ut iis venturis ad judicium ab his per quos fuerunt postulati sumptus competentes dentur,
x D.22.5.1. Et [x] Constitutionibus principum licentia producendi testes, ad sufficientem numerum coarctatur, ut Iudices mo-

deren-

derentur, & eum solum numerum quem necessarium putaverint evocari patiantur, ne effrænatâ potestate ad vexandos homines superflua multitudo testium protrahatur. Testes verò quicunq; in præsentia adversarii admitti & juramento onerari debent. [y] Si quis testes apud Iudicem producere voluerit, & eorum testimonia publicare, Adversarius moneatur, ut eo præsente Iudex attestationes recipiat. Quod si venire noluerit, etiam eo absente attestationes recipiat, & perindè valebunt ac si eo præsente receptæ fuissent: Testes verò, [z] Iurisjurandi religione, priusquam perhibeant testimonium, arctari præcepit Constantinus. Deniq; in examinatione testium, & vox, & vultus observari debent; nam [a] plurimum in excutiendâ veritate etiam vox ipsa & cognitionis subtilis diligentia affert. Nam & ex sermone, & ex eo quâ quis constantiâ, quâ trepidatione quid dixerit, quædam ad illuminandam veritatem emergunt. Vnde Imperator Hadrianus rescripsit, [b] Testibus se, non testimoniis crediturum. Ad probandam intentionem suam per instrumenta, non solum quæ in ipsorum potestate sunt proferre possunt, sed & ea quæ penes alios sunt edi postulare. Etenim [c] Omnibus postulantibus & jurantibus se non Calumniæ causa petere, rationes quæ ad se pertinent Prætor edi jubet, Nec privata modò sed etiam publica, quippe [d] is apud quem res agitur mandabit acta publica exhiberi inspicienda ad investigandam veritatis fidem: sed non ea quæ ad adversarium pertinent, quod [e] neq; juris, neq; æquitatis ratio permittat ut aliorum instrumentorum inspiciendorum potestas fiat. Actore enim non probante qui convenitur, etsi nihil ipse præstet, obtinebit.

Deniq; eodem modo quo in probando actor, in refutando procedit Reus. [g] Nam in exceptionibus dicendum est Reum partibus Actoris fungi, unde [h] qui excipit probare debet quod excipitur, & [i] non debet Actori licere quod Reo non Permittitur.

y C. 4. 20. 2.

z C. 4. 20. 9.

a D. 48, 18. 10.

b D. 22. 5. 3.

c D. 2. 13. 9.

d C. 2. 1. 2.

e C. 2. 1. 4.

g D. 22. 3. 19.
h D. 22. 3. 9.
i D. 50. 17. 41.

SECT. 10.

De Decisione Litis.

Decisio litis est causæ controversæ à Judice terminatio, quæ procedit prolatione sententiæ & demandatione sententiæ executioni. Profertur sententia cùm Judex de eo quod compertum habet pronuntiat, absolvendo scilicet, Vel condemnando. Demandatur sententia executioni cùm Judex id de quo pronuntiavit vigore alicujus coërtionis effectum sortiri facit. Impeditur autem decisio litis, & Appellatione & Querelâ Nullitatis. Appellatio est cum quis contra prolatam sententiam ad Judicem superiorem provocat. Querela Nullitatis est cùm impugnatur sententia eo quod nullitèr lata, expresso juris errore, vel omissis in ordine judiciario necessariò requisitis, effectum nullum sortiri debeat.

CVm de causâ inter partes plenè disceptatur, Judex ad sententiam proferendam procedit, à quo quædam in ipsâ sententiâ, quædam in modo proferendi sunt observanda. In ipsâ sententiâ, 1° ut sit conformis libello, quia [a] ultra id quod in Judicium deductum est, potestas Judicis excedere non potest. 2° Vt probationibus fundetur, nam [b] præses provinciæ id sequi debet quod convenit ex fide eorum quæ probabuntur. 3° Vt sit de re certâ, quod [c] curare debet Judex ut omninò quantum ei possibile est certæ pecuniæ vel rei sententiam ferat, etiamsi de incertâ quantitate apud eum actum sit. 4°. Quod sit absoluta, quia [d] sub conditione sententia dicenda non est. 5°. Vt condemnationem, vel absolutionem contineat. Nam [e] Definitiva sententia quæ absolutionem vel condemnationem non continet, pro justâ non habetur. In modo ferendæ sententiæ requiritur, 1° Vt cùm sint plures judices, omnes præsentes sint, & major pars consentiat. Nam

[f] tunc.

[a] D. 10. 3. 18.
[b] D. 1. 18. 6.
[c] I. 4. 6. 32.
[d] D. 49. 4. 1.
[e] C. 7. 45. 3.

[f] tunc universi judices judicare intelliguntur, cùm omnes adsint. [g] Duo autem ex tribus judicibus uno absente judicare non possunt, quippe omnes judicare jussi sunt, sed si adsit & contra sentiat, statur duorum sententiæ. [h] Inter pares verò numero judices, quod pro Reo statutum est obtinet, & si in diversis summis condemnent, minima est spectanda. 2º In præsentiâ partium sententia ferri debet, nam [i] ea quæ statuuntur adversus absentes, non per contumaciam denuntiationibus ex more conventos, judicatæ rei firmitatem non obtinent. 3º Ut cum maturâ deliberatione proferatur. [k] Judices enim non subitas sed habitâ deliberatione post negotium sententias ponderatas sibi ante forment, scriptasq; ex libello partibus legant. Principalem deinde causam sequitur causa expensarum. Etenim [l] cùm Lis fuerit decisa, sciant omnes Judices victum in expensarum causa victori esse condemnandum, quantum pro solitis litium expensis juraverit. Sententia lata post justum tempus executioni est demandanda. [m] Executio autem fit, cùm post sententiam inter partes (auditâ omni & discussa lite) prolatam, rei judicatæ vigor ad effectum perducitur. Cujusmodi Executio ab iis fieri debet qui potestatem habent. Ita [n] Magistratus Populi Romani judicum à se datorum sententias exequuntur, & [o] sententiam Romæ dictam, etiam in provinciis possunt præsides, si hoc jussi fuerint, ad finem persequi. Tempus verò intra quod sententia effectum sortiri, ac executioni demandari debet, à Judice statuitur. Nam [p] qui pro tribunali cognoscit, non semper tempus judicati servat, sed nonnunquam arctat, nonnunquam prorogat, pro causæ qualitate & quantitate, vel personarum obsequio, vel contumaciâ. Executionem sententiæ impedit Appellatio Estq; [q] Appellandi usus & frequens & necessarius, quippe cum iniquitatem judicantium vel imperitiam corrigat. Et omnibus permittitur contra quos profertur sententia, nam [r] si quis provocatione interpositâ suspecti judicis velit prolatam evitare sententiam, in hâc voce liberam habet potesta-

[f] D.42.1.37.
[g] D.42.1.39.
[h] D.42.1.38.
[i] C.7.43.7.
[k] C.7.44.2.
[l] C.3.1.13.
[m] C.7.53.8.
[n] D.42.1.15.
[o] C.42.1.15.
[p] D.42.1.2.
[q] D.49.1.1.
[r] C.7.62.30.

tem, sed & [m] alio condemnato, is cujus interest, appellare
[n] C.7.65.1. potest.[n] Ejus verò, qui per contumaciam absens, cùm ad agendum vocatus esset, condemnatus est negotio prius
[o] C.7.65.2. persecutato, Appellatio recipi non potest; [o] Nec argumentis convictus, testibus superatus, voce etiam propriâ
[p] D.49.2.1. confessus, auditur Appellans. Sed & [p] Si quis ante sententiam professus fuerit se à Iudice non provocaturum, indubitatè provocandi auxilium perdidit, sicut & is qui postea
[q] C.7.43.3. sententiæ acquievit. Ita Imperator [q] Ab eo judicato recedi non potest, quod vobis absentibus, ignorantibus, & indefensis, prolatam esse dicitis, si ubi primum cognovistis, non illicò querelam detulistis. Sententia enim quæ ita prolata est firmitatem non habebit, si ei non sit commodatus assensus. Deinde ab inferiore judice ad superiorem
[r] N.23.4. est appellandum, cum [r] non oporteat ad pares iudices appellationes referri, sed à minore iudicio ad maius tribunal ascendere; nec per saltum licet appellare, quare
[s] D.49.1.21. [s] Appellationes quæ rectà ad principem factæ sunt, omissis his ad quos debuerunt fieri, eximio ordine, ad præsides remitti debent. At
[t] D.49.2.1. [t] Frustra est admonere à principe appellare fas non esse, cùm ipse sit qui provocatur; Cùm etiam
[u] D.49.2.1. [u] interdum ita solet Imperator iudicem dare, ne liceat ab
[x] C.7.62.20. eo provocare. Præterea [x] & in maioribus, & in minoribus negotiis appellandi facultas est, sed non ab interlocutoriâ
[y] C.7.62.6. sententia, quòd [y] non nisi auditâ omni causa atq; discussâ,
[z] D.42.5.7. post sententiam dictam appellare convenit, sed & [z] si res dilationem non recipiat, non permittitur appellare, veluti, ne frumentum in usum militum in annonæ subsidia
[a] D.17.1.4. contrahatur. Et [a] ab executione sententiæ non licet appellare, Quin &
[b] C.7.70.1. [b] si quis in quâcunq; lite iterum provocaverit, non licet ei tertiò in eâdem lite super iisdem capitulis
[d] N.23.1. provocatione uti. [d] Illi qui appellare velit, decem dies ad appellandum constituuntur, & decem dierum spacium à
[e] D.49.1.5. recitatione sententiæ numerandum est. Sed appellare licet vel ipso die inter acta vivâ voce, vel posteà infra le-
[f] D.49.1.1. gitimum tempus dando libellos appellatorios. Et [f] libelli

ap-

appellatorii ita sunt concipiendi, ut scriptum habeant, & quis appellet, & adversus quem; & à quâ sententiâ. [g] Appellatione interpositâ, sive ea receptasit, sive non, medio tempore nihil innovari debet. Receptâ appellatione tam diu nihil erit innovandum, quam diu de appellatione fuerit pronuntiatum. [h] Appellatione interpositâ in eo statu omnia, quo tempore pronuntiationis fuerunt, esse debent. [i] Si quid in agendo negotio minus se allegasse litigator crediderit, quod in judicio acto fuit omissum apud eum qui de appellatione cognoscit persequatur. Sed & [k] si probationes illo quidem tempore defuerunt, verùm apud sacros cognitores sine procrastinatione probari poterant, id quoq; eos admittere licet, quo exercitatis jam negotiis pleniore veritatis lumine subveniatur. [l] Ne verò temerè ac passim omnibus provocandi facultas præbeatur, qui malam litem fuerit persecutus, pœnam à competenti Iudice sustinere debet.

g D.49.7.1.

h C.7.62.3.

i C.7.62.6.

k C.7.63.4.

l C.7.62.6.

Secundò effectus sententiæ tollitur querelâ Nulliratis, estq; Nullitas sententiæ vitium, ex quo ab initio irritum censetur, nec appellatione opus habet, sed declarato vitio nulla pronuntiatur. Ejusmodi vitium est, cum sententia continet expressum juris errorem. Vnde [m] Non jure profertur sententia, si specialiter contra leges vel constitutiones fuerit prolata, & si quis ex hâc sententiâ appellaverit, & præscriptione summotus sit, minime confirmatur ex hâc præscriptione sententia, sed potest causa ab initio agitari. Nam etsi sententia contra jus litigatoris appellatione reformari debet, contra jus constitutionis lata eâ opus non habet. Quia [n] Cum contra sacras Constitutiones judicatur, appellationis necessitas remittitur. Contra Constitutiones autem judicatur, cùm de jure Constitutionis, non de Iure Litigatoris, pronunciatur. Vt [o] si Iudex, volenti se à Curâ muneris vel tutelæ, ratione Liberorum, vel Ætatis, aut Privilegii excusari, dixerit neq; Filios, neq; Ætatem, aut privilegium ullum ad muneris vel Tutelæ excusationem prodesse, de jure constituto pronunciasse

m D.42.1.19.

n D.49.8.1.

o D.49.8.1.

nunciasse intelligitur: Quod si de jure suo probantem admiserit, sed idcirco contra eum sententiam dixerit, quòd negaverit eum de Ætate, aut de numero Liberorum probâsse, de Iure Litigatoris pronunciavit: quo Casu Appellatio est necessaria. Multo magis, [p] Impossibile præceptum Iudicis, aut cui pareri per rerum naturam non potest, [q] nullius est momenti. Item; [q] Si calculi error sit in sententiâ, appellare necesse non est, & citra provocationem corrigitur. Deniq; [r] Prolata sententia contra solitum Iudiciorum ordinem, autoritatem rei judicatæ non obtinet. Nam [s] non vox omnis Iudicis judicati continet autoritatem, cùm potestatem sententiæ certis finibus concludi constitutum sit. Et [t] Condemnatum accipere debemus eum qui ritè condemnatus est.

p D.49.8.2.
q D.49.8.1.
r C.7.45.4.
s C.7.45.7.
t C.42.1.4.

PARS SEXTA.

SECT. I.

De Iudicio Privato.

IVdicium privatum est in quo Actio privata processu communi & coertione leviore expeditur. Actio privata est quæ pro Iure aliquo privato competit, eaq; & de causâ graviori intentatur, in quâ maius præiudicium, vel de causa leviori in quâ minus præiudicium vertitur. Processus communis est qui secundum ordinem usitatum exercetur, isq; vel Plenarius, quo plus deliberationis permittitur, & solennitas maior adhibetur, vel Summarius, in quo dilationes quantum fieri potest, amputantur, & actus merè solennes omittuntur. Coertio levior est quæ ad bona extenditur, ut Captio Pignoris quâ certum quid apprehenditur, & detinetur, vel Missio in bona, quâ adversarius in possessione rei certæ, vel quorumcunq; bonorum constituitur, donec decreto Iudicis obtemperatum fuerit. Estq; Iudicium privatum vel Status, vel Possessionis, vel obligationis Privatæ.

IVdicia privata sunt quæ de Actionibus privatis, (id est) quæ hominibus singulis contra singulos competunt, instituuntur: & hujusmodi Actiones sunt vel majoris præjudicii, de quibus ipsi magistratus vel Iudices ordinarii, [a] ex officio suo debent cognoscere, vel levioris præjudicii, [b] in quibus, iis alios Iudices dandi licentia est

[a] C. 3. 3. 2.
[b] C. 3. 3. 3.

permissa. Nam [c] quædam sunt negotia, in quibus superfluum est moderatorem expectare provinciæ, ideoq; Pedaneos Iudices, hoc est, qui negotia humiliora disceptant, constituendi Præsides habent facultatem. Deinde in Iudiciis privatis & plenariè & summariè proceditur, ut plurimum, & in gravioribus causis, plenariè, unde Imperator, [d] Iudices oportet rei Qualitatem plenariâ inquisitione discutere, & tunc utramq; partem sæpiùs interrogare, numquid novi addere desideret, cùm hoc ipsum ad alterutram partem proficiat, sive definienda causâ per Iudicem, sive ad majorem potestatem referenda sit. In Processu verò plenario, omnes Actus & termini Iudiciales observantur, ut in initio non solùm Citatio, sed etiam libelli oblatio, & Litis contestatio, in Progressu non modò dilatio ad probandum, sed & terminus ad proponendum omnia & ad Concludendum ante sententiæ prolationem adhibeantur. In nonnullis tamen, in levioribus scilicet quæ moram non ferunt, [e] Iudex summatim cognoscere debet, id est, actus solùm substantiales permittere, quales sunt Citatio, Probatio, & sententiæ pronunciatio, absq; formali libelli oblatione, & Litis contestatione, & sine termino ad proponendum omnia & ad Concludendum. Deniq; in Iudiciis privatis Coertio levior ut plurimùm exercetur, quâ quis in bonis, quòd mandato vel decreto Iudicis non obtemperarit, plectitur; ita ob contumaciam in non comparendo. [e] Si quis in jus vocatus non ierit, ex causa à competente Iudice mulctâ pro Iurisdictione Iudicis damnari potest. Sed & [f] si latitet & non defendatur, mitti potest adversarius in possessionem bonorum ejus, ut habeat scil: [g] Secundum mensuram declarati debiti, ex primo (quod aiunt) decreto, debiti conservandi causâ. Deinde ut si statuto ulteriùs tempore non compareat, autoritate Iudicis ex secundo decreto [h] possideri, vendiq; jubeantur. [i] Latitare autem est turpis occultatio sui, sive Latitare est cum tractu aliquo latere, & copiam sui in Publico non facere. Et sive quis eodem loci agat, sive alio, sive peregrè,

c C. 3. 3. 5.
d C. 3. 1. 9.
e D. 10. 4. 5.
e D. 2. 5. 2.
f D. 2. 5. 19.
g N. 53. 4.
h D. 42. 4. 7.
i D. 42. 4. 7.

peregrè, si occursum creditoris evitet, latitare videtur. Ita etiam ut sententiæ Iudicũ executioni demandentur.[k] Iudices primò res mobiles, & animales pignori capi jubent, mox distrahi, quæ si non suffecerint, etiam res soli pignori capi, & distrahi jubent. Et si neq; quæ soli sunt sufficiunt, tunc pervenitur ad jura.[l] Pignorum autem gratiâ, aliquid quod ad culturam agri pertinet auferre non convenit.

[k] D.42.1.15.

[l] C.8.17.7.& 8.

SECT. 2.

De Iudicio Statûs privati: & de Iudicio Libertatis.

Iudicium Statûs est in quo de statu alicuius controvertitur; In specie Iudicium statûs est vel libertatis, vel Civitatis, vel Familiæ.

Iudicium libertatis est quo quæritur quis liber sit necne, cùm quis ex servitute in Libertatem proclamat, vel ex libertate in servitutem petitur.

IN judiciis privatis primùm occurrit Iudicium Statûs, de quo aliquando principalitèr controvertitur, aliquando incidentèr, ut quæstio Statûs quæstioni alteri præjudicium afferat. Et primùm ad tuendum statum in genere judicium institui potest, ex L. diffamari. C. de Ingenuis, quâ rescripsit Imperator,[a] Cùm Præses à diffamato de statu interpellatus, adversam partem vocasset, ut Contradictionem faceret, si defensionibus suis confideret, & constaret Præsidem commotum allegationibus diffamati sententiam dedisse, ne de cætero inquietudinem sustineret, ut si adhuc adversa pars perseveret in eâdem obstinatione, aditus Præses Provinciæ eum ab injuriâ temperare præcipiat: In quo Iudicio ad instantiam ejus cui Quæstio movetur, is qui Quæstionem movet in Ius vocatur, &, si non

[a] C.7.14.5.

probet quod intendit, silentium ei imponitur, & nisi obtemperet ulterior pœna.

Circa libertatem utrinq; institui potest Iudicium Libertatis, quod & [b]Liberale Iudicium appellatur. Et [c] si quis ex servitute in Libertatem proclamet, Petitoris partes sustinet, si verò ex Libertate in servitutem petatur, is partes Actoris sustinet qui servum suum dicit, [d] Si ex possessione servitutis in Libertatem quis proclamet, ibi agi oportet Statûs causâ, ubi domicilium constitutum habet is qui se dominum dicit. Sed & hoc judicio, propter ingratitudinem, manumissus in servitutem revocari potest, ut, [e] Si manumissor qui est æqualis patri, à liberto aliquid patiatur malignum, injurias forsitan asperas aut indecentes, tum si quid eorum legitimis probationibus passim se convicerit is qui libertatem dedit, Libertus in priorem statum est restituendus.

b D.40.12.7.
c D.40.12.7.
d C.3.22.6.
e N.78.2.

SECT. 3.

De Iudicio Civitatis.

Iudicium Civitatis est in quo quæritur quis Civis sit necne, utpote cùm qui peregrinus habetur contendit se esse Civem, Vel ei qui se pro Cive gerit de Peregrinitate excipitur.

DE Iure Civitatis agitur principaliter rarius, quia aliorum vix interest, aliquando tamen, ut apparet ex celebri oratione Ciceronis pro Archiâ Poeta; incidenter verò sæpe, nimirum cum de iis primariò contenditur, quæ ad cives duntaxat spectant, ut de Iure testandi, hæreditates percipiendi, & similibus. [a] De ejus verò Conditione qui quinquenniũ ante mortem ut Civis Romanus vixit, quæri non debet. [b] Et cum quæritur quis civis vel Municeps sit necne, ex ipsis rebus probationes sumi oportet, nam sola nominis similitudo ad confirmandum cujusq; originem satis non est.

a D 40.15.1.
b D.5.1.38.

SECT.

SECT. 4.

De Iudicio Familiæ.

Iudicium Familiæ est in quo quæritur de Potestate, vel de Iure quod quis habet in familiâ, ut primò cùm quæritur quis in alienâ potestate sit necne, deindè cum agitur de potestate in alios, ut ad matrimonium contrahendum, ad vxorem recuperandam, ad matrimonium dirimendum. Item ad Liberos alendos, ad Liberos recuperandos, ad Liberos illegitimos excludendos. Deniq; cum quæritur de potestate Tutoris, causâ nullitatis tutelæ, vel excusationis à tutelâ, vel amotionis à tutelâ.

CVm multiplex sit jus familiæ, multiplex etiam de eo jure solet esse Iudicium; & Primò cùm quæritur quis in potestate patris sit necne, si ab alio detinetur, [a] Pater qui in suâ potestate esse dicit, ad Interdictum de filio ducendo ire debet, si à nullo detinetur [b] cessat hoc Iudicium, sed succedit notio Prætoris, & apud eum disceptetur utrum quis in potestate sit, an non sit. Secundò circa Matrimonium, 1. Ad matrimonium contrahendum competebat Actio ex Sponso; olim enim, uti tradit Servius apud [c] A. Gellium, qui uxorem ducturus erat, ab eo undè ducenda erat stipulabatur, eam in matrimonium ductum iri; qui daturus erat, itidem spondebat se daturum. Is contractus stipulationum sponsionumq; dicebatur Sponsalia, & si post eas stipulationes uxor non dabatur, aut non ducebatur qui stipulabatur ex sponsu agebat, Iudex quamobrem data acceptavè uxor non esset, quærebat, si nihil justæ causæ videbatur, litem pecuniâ æstimabat quantiq; interfuerit eam uxorem accipi aut dari, eum qui spospondera[t] aut qui stipulatus erat condemnabat. Secundò agitur ad contractum matrimonium probandum, cum [d] An aliqua uxor fuerit necnè disceptatur; in quo judicio probationes

a D. 43. 29. 4.

b D. 43. 29. 3.

c 4. 4.

d D. 25. 43.

e C.5.4.13. non ſolùm ab inſtrumentis pendēt, cum [e] neq; ſine nuptiis inſtrumēta facta ad probationem matrimonii ſunt idonea, diverſum veritate continente, neque jure contractum matrimonium, non interpoſitis inſtrumentis irritum eſt, cùm omiſſa quoquè ſcripturâ cætera nuptiarum indicia non ſint irrita; Tertiò etiam agitur ad uxorem reſtituendam, [f] Interdicto de uxore exhibendâ & ducendâ, quo etiam Pater qui filiam in poteſtate habet rectè convenitur. Quod ſi ipſa ad maritum redire noluerat, [g] nullâ cauſa probabili interveniēte, pœnis diſſidii coërcetur, id eſt [h] amittet dotem & lucra nuptialia, nec intra quinquennium alteri nubet. Deniq; etiam ex cauſa divortii agitur ad matrimonium dirimendum: juſta autem cauſa divortii eſt, [i] Si mulier maritum ſuum adulterum, homicidam, veneficum, vel contra imperium aliquid molientem invenerit, vel ſi ad contemptū ſui domûſve ſuæ, ipsâ inſpiciente cum impudicis mulieribus cœtum ineuntem, ſi ſuæ vitæ veneno, aut gladio, aut alio ſimili modò inſidiantem, ſi verberibus, quæ ingenuis aliena ſunt, ſœvientem probaverit. Si maritus uxorem adulteram, venificam, homicidā, aut extraneorum virorum, ſe ignorante vel nolente, convivia appetentē, aut ipſo invito foras pernoctantem, vel theatralibus ludis, ſe prohibente, gaudentem, vel ſibi veneno, aut gladio, aut alio ſimili modo inſidiantem, aut manus audaces ingerentem probaverit, tunc ei neceſſaria diſcedendi facultas permittitur, & cauſas diſſidii legibus comprobare.

f D.43.29.2.

g D.49.15.8.

h C.5.17.8.

i C.5.17.8.

Tertiò circa filiationem inter liberos & parentes inſtituitur actio, de liberis agnoſcendis, unde [l] Si vel parens neget filium, idcircoque ſe alere non debere contendat, vel filius neget parentem; ſummatim Iudices oportet ſuper eâ re cognoſcere, & ſi conſtiterit filium vel parentem eſſe, tunc ali jubebunt; cæterùm ſi non conſtiterit, nec decernent alimenta. Et [m] ſi quis ex his alere detrectet, pro modo facultatum alimenta conſtituuntur; quod ſi non præſtentur, pignoribus captis & diſtractis cogetur ſatisfacere. Sed & parentibus contra alios pro liberis abductis vel

l D.25.4.5.

m D.25.4.5.

vel detentis succurritur, Interdicto de liberis exhibendis, quo Prætor sic jubet, [n] Qui quæve in potestate Lucii Titii est, si is eáve apud te est, dolove malo tuo factum est, quo minus esset, ita eum eámve exhibeas. Denique in judicio quæritur, aliqui liberi legitimi sint necne, in cujusmodi causis præsumptio est à nuptiis; unde [o] Filius definitur qui ex viro & uxore ejus nascitur; item pro iis qui ab ea nati sunt quę palam uxor habebatur; ita [p] qui vicinis, vel aliis scientibus uxorem liberorum causa domi habuit, ex quâ filia susceptа est, quamvis neque nuptiales tabulæ, neque ad natam filiam pertinentes, id est, nativitatis scripturæ factæ sunt, non ideò minùs veritas matrimonii, aut susceptæ filiæ, suam potestatem habet.

n D. 43. 19. 1.

o D. 1. 6. 6.

p C. 5. 4. 9.

Quartò circa Tutoris potestatem in judicio quæritur. Primò cum agitur Causa nullitatis Tutelæ, id est, cùm quis priusquam se negotiis immiscuit, se nullitèr constitutum probare intendit. Nam [q] qui non justè dati sunt tutores, hoc est, à quibus non oportet, aut quos non oportet, aut quo non oportet modo, si neque confirmati sunt, neq; ad ministraverint, sunt immunes. Secundò cũ agitur ad excusandum se ab onere tutelæ, ex causis scilicet coram magistratu propositis & comprobatis, quales sunt [r] Numerus trium liberorum, Tria onera tutelæ non affectatæ, Administratio rei fiscalis, Absentia Reip: causa, Paupertas, adversâ valetudo, literarum imperitia, ætas minor 25, major 70, Militia, professio artium ingenuarum. Tum verò [s] quinquaginta dierum spatium tantummodò ad contestandas excusationum causas pertinet: Peragendo autem huic negotio ex die Numerationis quatuor menses continui constituti sunt. Tertiò, cum agitur ad alium amovendum à Tutelâ ex justa etiam aliquâ causa. [t] Sciendum est enim, ob dolum in Tutelâ admissum, suspectum licere postulare, si fortè grassatus in tutelâ est, si sordidè egit, vel pernitiosè pupillo, vel aliquid intercepit ex rebus pupillaribus. Item, [u] Si fraus non sit admissa, sed lata negligentia, quia ista propè fraudem accedit, removeri tunc quasi suspectum

q D. 27. 1. 13.

r I. 1. 25.

s I. 1. 25. 16.

t D. 26. 10. 3.

u D. 26. 10. 7.

suspectum oportet. Sed & [x] Tutor qui ad alimenta pupillo præstanda copiam sui non facit, suspectus est, potestq; removeri; & generalitèr, [y] si qua justa causa Prætorem moverit, cur non debeat in eâ Tutela versari, rejicere eum debet. Deniq; [z] suspectos Tutores postulandi actio quasi publica est, & omnibus patet.

x D.26.10.3. 14.
y D.26.10. 3. 12.
z D.26.10.1.

SECT. 5.

De Iudicio Possessionis: & de Iudicio Dominii.

Iudicium Possessionis est, in quo agitur ad Possessionem vel retinendam, vel ad possessionem recuperandam. Deinde in specie agitur ad Rerum Possessionem Iudicio Dominii, usus, & Patrimonii.

Iudicium Dominii est quod de dominio rei singularis instituitur; ut cum quis agit ut Rem propriam quam alius detinet recipiat, vel ut res sibi cum aliis communis dividatur, vel ut Limites prædiorum designentur.

IVdicia quæ Personarum statum concernunt sequuntur Iudicia de Possessione rerum. Omnis enim realis Actionis finis est ut quis quod suum est, quietè possideat. Estq; [a] in Rem Actio per quam Rem nostram quæ ab alio possidetur petimus, & semper adversus eum est qui rem possidet. Ad possessionem verò agitur aliquando ex causa possessionis in genere, aliquando in specie ex Causa Dominii, usus, vel Patrimonii. [b] De Possessione in Genere, omnis controversia aut eo pertinet ut retinere nobis liceat quod possidemus, aut ad hoc ut quod non possidemus restituatur nobis, unde ad retinendam possessionem comparata sunt Interdicta Vti Possidetis, & utrubi. Interdicto uti possidetis, Prætor sic denuntiat, [c] Vti eas ædes de quibus agitur, nec vi, nec clam, nec precariò alter ab altero possidetis, quo minùs ita possideatis vim fieri veto

a D. 44.7.25.
b D.43.17.1.
c D.43.17.1.

sideatis vim fieri veto. Et [d] hoc interdictum hujus Rei causa redditur, ne vis fiat ei qui possidet, primò ne possessione rei immobilis deturbetur, nam scriptum est [e] de soli possessore, quem Prætor in soli possessione potiorem habet. Deindè [f] sufficit etiam ei qui ædificare in suo prohibetur, etenim videtur alicui possessionis controversiam facere qui prohibet eum uti possessione suâ, deniq; [g] locum habet si quis prohibeatur qualitèr velit suo uti.

Interdicto utrubi Prætor sic ait, [h] Vtrubi hic homo de quo agitur majore parte hujus anni fuit, quo minùs is eum ducat vim fieri veto. Et de possessione rerum mobilium locum habet, ejusq; vis exæquata est Interdicto uti possidetis, quod de possessione rerum soli competit, ut is [i] in hoc interdicto vincat qui nec vi, nec clam, nec precariò, dum super hoc ab adversario inquietatur, possessionem habet.

Ad recuperandam possessionem agi potest ex Interdicto Vnde vi, & ex constitutione Valentiniani. Interdictum unde vi, sic se habet, [m] Vnde tu illum vi dejeciſti, aut familia tua dejecit, de eo quod ille ibi tunc habuit judicium dabo. Et ad eos pertinet qui de solo, vel de re solo cohærenti dejiciuntur. Sed & [n] vim facit qui non sinit possidentem eo quod possidet uti arbitrio suo, sive in serendo, sive in fodiendo, sive in arando, sive quid omnino faciendo per quod liberam possessionem adversarii non reliquit. [o] Qui verò vi dejectus est, quicquid damni senserit, ob hoc quod dejectus est recuperare debet, pristina enim causa restitui debet quam habiturus erat si non fuisset dejectus.

Constitutione Valentiniani de restituendâ possessione rerum mobilium providetur: Et si pro iis etiam ex causa furti vel vi bonorum raptorum etiam actio competit, Ea verò constitutio est hujusmodi, [p] Si quis in tantam furoris audaciam pervenerit, ut possessionem rerum apud homines quoslibet constitutarum ante adventum judicialis arbitrii violenter invaserit, Dominus quidem constitutus

d D.43.17.1.
e D.43.17.1.
f D.43.17.3.
g D.8.5.8.
h D.43.31.1.
i D.43.31.1.
m D.43.16.1.
n D.43.16.11.
o D.43.16.1.
p C.8.4.7.

possessionem quam abstulit restituat, & dominium Rei ejusdem amittat, si verò alienarum rerum possessionem invasit, non solum eas possidentibus reddat, verum etiam æstimationem earundem restituere compellatur.

Ita de re habenda agitur ex causa Possessionis in genere; in specie agitur Primò ex causa dominii, [q] Rei vindicatione quæ est in rem actio, quæ competit ei qui aut jure Gentium, aut jure Civili dominium acquisivit, qua scilicet [r] Res vindicatur ab omnibus qui tenent & restituendi facultatem habent. Item [s] Hac in rem actione tenetur qui dolo desiit possidere, & [t] Locum habet in his quæ solo continentur, & in omnibus rebus mobilibus tam animalibus quam his quæ anima carent. Ejusq; effectus est [u] ut qui restituere jussus Iudici non paret, si quidem habeat rem, manu militari officio judicis possessio transferatur, ut fructuum omnisq; causæ condemnatio fiat: si verò non potest restituere nec dolo fecit quo minus possit, non pluris quam quanti res est (id est) quanti adversarii interfuit condemnandus sit: si dolo fecit quo minus possit, is quantum adversarius in litem sine ulla taxatione in infinitum juraverit, damnandus sit.

Secundò agitur ex causa dominii, Iudicio de communi dividundo. [x] Per quod judicium corporalium rerum fit divisio inter eos qui dominiũ habent, [y] Et si non omnes qui rem communem habent, sed certi ex his dividere desiderant, hoc judicium inter eos accipi potest. Sed & [z] sicut ipsius rei divisio venit in judicio de Communi dividundo, ita etiam præstationes veniunt, & ideo si quis impensas fecit consequetur.

Tertiò ex causa dominii agitur actione finium regundorum, ad distinguendum limites, inter eos qui fundos vicinos habent, Et [a] hæc Actio in personam est, licet pro rei vindicatione est, Et [b] in hoc Iudicio Finium regundorum ratio habetur etiam ejus quod interest. Quid enim si quis aliquam utilitatem ex eo loco percepit quem vicini esse apparet? Deinde [c] in finalibus Quæstionibus, vetera monumen-

q D.6.1.23.
r D.6.1.9.
s D.6.1.27.
t C.6.1.68.
u D.6.1.68.
x D.10.3.4.
y D.10.3.8.
z D.10.3.4.
a D.10.1.1.
b D.10.1.4.
c D.10.1.11.

monumenta, & Censûs autoritas ante litem inchoatam ordinati sequenda est, modò si non varietate successionum & arbitrio possessorum fines additis vel detractis agris postea permutari probentur. Sed & [d] ad officium de finibus cognoscendis pertinet mensores mittere, & per eos dirimere finium quæstionem ut æquum est (si ita res exigit) oculisq; suis subjectis locis. Deniq; [e] Iudici finium regundorum permittitur, ut ubi non possit dirimere fines, per adjudicationem controversiam dirimat. Quinetiam [f] si amovendæ veteris obscuritatis gratiâ per alias regiones fines dirigere velit, Iudex potest hoc facere per Adjudicationem, & Condemnationem, quo casu opus est ut ex alterutrius prædio, alii adjudicandum sit, quo nomine is cui adjudicatur certâ pecuniâ condemnandus est.

d D. 10. 1. 8.

e D. 10. 1. 2.

f D. 10. 1. 2.

SECT. 6.

De Iudicio usus sive servitutis.

Iudicium usus sive servitutis est in quo de rei alicuius usu seu servitute controvertitur, vel cùm agitur ut is cuius rei servitus imponitur eandem agnoscat, vel ut res in qua alius servitutem vendicat libera declaretur.

PRæter generalia interdicta de Possessione quibus usum vel servitutem rei tueri licet [a] De servitutibus in rem actiones competunt tam Confessoria, quam negatoria; Confessoria ei qui servitutem sibi competere contendit, Negatoria domino qui negat. Ad primam quod attinet. [b] In rem actio confessoria nulli alii quam domino fundi, competit, servitutem enim nemo vindicare potest præterquam is qui dominium in fundo vicino habet cui servitutem deberi dicit, Et [c] Agi potest hac actione non solum cum domino rei quæ servit, sed etiam cum omnibus quicunq; servitute uti impediunt. [d] In confessoria etiam actione quæ de servitute movetur, fructus veniunt, & id fructuum

a D. 8. 5. 2.

b D. 8. 5. 2.

c D. 8. 5. 10.

d D. 8. 5. 4.

ctuum nomine computandum, siquid sit quod interſit agentis ſervitutem non prohiberi.

e D.7.6.5. E contrà quod ad alteram ſpectat, [e] Actio negatoria ſive negativa competit adverſus fructuarium, cum quis invito ſe negat jus eſſe utendi fructuario, vel ſibi jus eſſe prohibendi, & f ſicut fructuario in rem confeſſoriâ agenti fructus præſtandi ſunt; ita & proprietatis domino, ſi negatoriâ actione utatur. Officium enim Iudicis erit ut ſecurus conſequatur fructuarius fruendi licentiam, proprietatis dominus ne inquietetur.

f D.7.6.5.

SECT. 7.

De Iudicio Patrimonii.

Iudicium patrimonii eſt in quo quæritur de Patrimonio: primùm cum de peculio agitur; Secundò cùm de dote contenditur, ut, de dote præſtandâ, vel de dote reddendâ. Tertiò cùm de Hæreditate controvertitur, ut, cùm quis ſe hæredem eſſe contendit, vel ſe iniuſtè exhæreditatum oſtendit, vel de Hæreditate dividundâ laborat, vel poſtremò cùm de bonis inter liberos conferendis agitur.

NOn ſolùm de rebus ſingulis, ſed etiam de bonis univerſis quæ Patrimonium conſtituunt, controverſiæ in judicium deducuntur. Primùm, cùm de Peculio recuperando agitur, vel Peculium vendicatur. a Etſi enim pater uſumfructum habeat in peculio filii, alienare tamen non poteſt; & ſi alienaverit, licet liberis, quandocunq; ſui juris fuerint, nulla temporali præſcriptione obſiſtente, eaſdem res omnibus modis vindicare, niſi poſtquam poteſtate parentum eos contigerit liberari, tantum temporis effluxerit, ut ex continua, & inconcuſſa tenentis poſſeſſione, eorum intentio excludatur. Secundò, ad judicium de patrimonio pertinet, cùm de Dote Præſtanda vel reſtituenda agitur. E quibus b Dos præſtanda exigi poteſt per

a C.6.60.4.

b C.5.12.1.

per actionem exstipulatu, sive scripta fuerit stipulatio, sivè non, dum intelligatur reipsâ stipulatio esse subsequuta. Sed & evictâ re quæ fuerat in dotem data, si pollicitatio vel promissio fuerit interposita, gener contra socerum vel mulierem seu hæredes eorum, condictione vel ex stipulatione, agere potest. De Dote restituendâ agit soluto matrimonio, uxor, vel ejus hæres. Vxor divortio facto, quia ita [c] Soluto matrimonio Mulieri dos solvi debet. Quòd [d] si probetur culpa mulieris matrimonium dissolutum, maritus potest dotem retinere: si uterq; sit in culpâ, secùs; Nam [e] ex lege quam ambo contempserunt neuter vindicetur, cùm paria delicta mutuâ pensatione dissolvantur. Hæres uxoris agit, si ipsa decesserit in matrimonio, tunc enim [f] Dos non in lucrum mariti cedit, sed ad mulieris hæredes transmittitur, undè [g] Adversus maritum Dotis actionem competere palam est, sed [h] maritum in id quod facere potest condemnari exploratum est, quod hæredi non est præstandum, quia tale Beneficium personale est, & cum personâ extinguitur. Tertiò, ad judicia de Patrimonio referuntur de Hæreditate controversiæ. de quâ agitur primùm Petitione Hæreditatis, quam actionem intentare possunt omnes [i] Ad quos hæreditas pertinet, aut veteri jure, aut novo, id est, qui in testamento hæredes instituti, vel ab intestato successuri sunt, & [k] regulariter definitur eum teneri petitione hæreditatis, qui vel jus pro hærede, vel pro Possessore possidet, vel rem hæreditariam, licet minimam. [l] Pro hærede verò possidet qui putat se hæredem; pro possessore, qui nullam causam possessionis potest dicere. Deinde [m] Placuit universas res in hoc judicium venire, sivè jura sint, sivè corpora. Item [n] non solùm ea quæ mortis tempore fuerunt, sed & siqua posteà augmenta accesserunt, Nam Hæreditas augmentum recipit, & diminutionem: Quod si diminuta sit Hæreditas, [o] Consultum est Bonæ fidei possessoribus, ne in totum damno afficiantur, sed in id duntaxat teneantur in quo locupletiores facti sunt, Quemcunq; igitur sumptum fecerint

c D.25.1.2.
d D.25.1.38.
e D.25.1.39.
f C.5.13.1.
g D.25.1.22.
h D.25.1.12.
i D.5.3.1.
k D.5.3.10.
l D.5.3.11.
m D.5.3.18.
n D.5.3.23.
o D.5.3.25.

cerint, ex hæreditate, ſiquid dilapidarunt, perdiderunt,
p D.5.3.38. dum re ſuâ ſe abuti putant, non præſtabunt. [p] Prædo autem
de ſe queri debet, qui ſciens in rem alienam impendit; ſed
benignius eſt in hujus quoq; perſona haberi rationem im-
penſarum; non enim debet quis ex aliena jactura lucrum
facere. Secundò de Hæreditate agitur querela inofficioſi
q D.5.2.3. teſtamenti; [q] Cum parentes falſo inſimulati liberos ſuos
r D.5.2.5. vel exhæredant, vel prætercunt; nam [r] Querelæ inofficio-
ſi vis illa eſt, docere ſe immerentem, & indignè præteri-
ſ D.5.2.4. tum, vel etiam exhæredatione ſummotum, quod [ſ] ple-
rumq; parentes faciunt malignè circa ſanguinem ſuum
inferentes judicium, novercalibus delinimentis, inſtiga-
t D.5.2.5. tionibuſq; corrupti. [t] Hôc verò colore de inofficioſo te-
ſtamento agitur, ut videatur illum quaſi non ſanæ mentis
fuiſſe cùm teſtamentum iniquum ordinaret, qui tamen re-
u D.5.2.1. ctè facit teſtamentum, ſed non ex officio pietatis. [u] In hoc
etiam judicio omnibus tam parentibus, quàm Liberis de
x D.5.2.15. inofficioſo teſtamento licet diſputare. [x] Etſi enim paren-
tibus non debetur filiorum hæreditas propter votum Pa-
rentum, & naturalem erga filios charitatem, turbato ta-
men ordine mortalitatis, non minùs parentibus quàm Li-
beris piis relinqui debet. Certæ tamen cauſæ in jure defi-
nitæ ſunt, ex quibus exhæredare, vel præterire in teſta-
y N.115.3. mento permittitur, ut [y] Si quis parentibus manus intule-
rit, ſi gravem & inhoneſtam injuriam iis ingeſſerit, ſi in
criminalibus cauſis (exceptâ Majeſtatis) accuſaverit, ſi
vitæ eorum veneno, vel alio modo inſidiatus fuerit, ſi te-
ſtari prohibuerit, ſi novercæ ſeſe immiſcuerit, ſi cum ma-
leficiis verſetur, ſi inter arenarios vel mimos ſe ſociave-
rit; ſi filia parenti volenti maritum & dotem dare non
conſenſerit, ſed luxurioſam vitam degerit, ſi pro carcere
incluſo fidejubere, ſi furioſum ſanare, ſi captivum redi-
mere neglexerit, &c. Ex quibus etiam cauſis vel ſimilibus,
z C.3.28.28. licet liberis parentes exhæredare, vel præterire. [z] Liberi
verò de inofficioſo querelam contra teſtamentum mo-
ventes, probationem debent præſtare, quod obſequium

jugiter

jugitèr, prout ipsius naturæ religio flagitabat, parentibus adhibuerint, nisi scripti hæredes maluerint ostendere ingratos liberos contra parentes extitisse. Sed & satis est hæredibus ostendere legitimam illi relictam, qui queritur. Nam [a] parentibus arbitrium dividendæ hæreditatis inter liberos adimendum non est, dummodò non minus is, qui pietatis sibi conscius est, parte, quæ intestato defuncto potuit ad eum pervenire, quartâ ex judicio parentis obtineat. Deniq; effectus hujus judicii est, quòd [b] si ex causa de inofficioso cognoverit Iudex & pronunciaverit contra testamentum, ipso jure rescissum est, & suus hæres erit secundum quem judicatum erit. Et [c] cùm inofficiosum testamentum arguitur, nihil ex eo testamento valet. Tertiò circa hæreditatem instituitur Iudicium Familiæ erciscundæ, id est, hæreditatis dividendæ. Nam [d] cohæredibus volentibus à communione discedere necessarium videbatur aliquam actionem constitui, quâ inter eos res hæreditariæ distribuerentur; & [e] Non est Iudicium familiæ herciscundæ, nisi inter cohæredes; quamvis [f] Provocare apud Iudicem, vel unum hæredem posse, palam est; & [g] In hoc Iudicio unusquisq; hæredum, & rei, & actoris partes sustinet. Deindè in hoc judicium veniunt res omnes hæreditariæ, quia [h] per Familiæ erciscundæ judicium dividitur hæreditas, modò sit divisibilis. Et [i] universæ res æstimari debent, non singularum rerum partes. Sed & [k] In familiæ erciscundæ judicio, præteriti quoq; temporis fructus veniunt, sed & omnia, quæ quis in hæreditate dolo aut culpâ fecit. Cùm verò de rebus hæreditariis constat, [l] Iudex familiæ erciscundæ nihil debet indivisum relinquere. [n] Si divisio tam difficilis sit, ut penè impossibilis videatur, potest Iudex in unius personam totam condemnationem facere, & adjudicare omnes res; sed & [o] Potest pensatione ultrò citroq; factâ, cum cujus summa excedit, ejus duntaxat summæ nomine, quæ ita excedit, condemnare. Postremò circa hæreditatem in Iudicium familiæ erciscundæ aliquandò incidit Iudicium Collationum

a C. 3. 28. 8.
b D. 5. 2. 8.
c D. 5. 2. 28.
d D. 10. 22. 1.
e D. 10. 2. 36.
f D. 10. 2. 43.
g D. 10. 2. 2.
h D. 10. 2. 2.
i D. 10. 2. 52.
k D. 10. 2. 16.
l D. 10. 2. 25.
n D. 10. 2. 55.
o D. 10. 2. 52.

num Bonorum, quod [p] manifestam habet æquitatem, ut qui bona paterna appetant, sua in medium conferant, id est, ut qui post mortem patris in iis quæ reliqua sunt partem petunt, ea quæ vitæ tempore receperunt, cum aliis communicanda producant. Quod etsi ad Peculium ordinarium extenditur, [q] Nec castrense tamen, nec quasi castrense peculium fratribus confertur. Hoc enim iis præcipuum esse oportet. Sed & [r] quod dignitatis nomine à patre datum est, propter onera dignitatis quis conferre non cogitur. Et [s] Quæ pater filio studiorum causa peregrè agenti subministravit, debitâ pietate ductus, in rationem portionis, quæ ex defuncti bonis ad eundem filium pertinet, computari æquitas non patitur. Quòd [t] siquis in Paternorum bonorum Collatione alios fefellit, præses Provinciæ, quo l deductâ ratione plus apud eum esse animadverterit, aliis restitui jubebit. Immò [u] Siquis non conferat, vel dolo fecerit quò minùs conferat, quanti ea res erit, in tantam pecuniam condemnabitur.

p D.37.6.1.
q D.37.6.15.
r D.37.6.15.
s D.10.2.50.
t C.6.20.8.
u D.37.6.5.

SECT. 8.

De Iudicio Obligationis. Et de Iudicio Contractûs.

Iudicium Obligationis est, quandò in Personam ex Obligatione agitur, in genere; vel specialiter ex Iudicio Contractûs, Delicti, vel Officii.

Iudicium Contractûs est, in quod deducitur Actio ex Contractu; veluti, ex contractu reali, Actio Mutui, Commodati, Depositi, & Pignoratitia: ex Contractu Consensûs, Actio Empti & Venditi, Locati & Conducti, Prosocio, & Mandati: Ex Contractu verborum, Actio ex stipulatu, & Chirographo.

[a] D.44.7.25. IVdiciis in quibus Actiones in Rem deducuntur, succedunt Iudicia in quibus in Personam agitur. Et [a] In Personam

sonam Actio est quando cum eo agimus qui obligatus est ad faciendum aliquid vel dandum. Eaq; Generalis esse potest quæ ad plures causas; vel specialis quæ ad certum aliquod negocium referatur. Prioris generis est Condictio certi & Actio in factum, sive Præscriptis verbis. [b] Certi condictio competit ex omni obligatione ex quâ certum petitur, sive ex certo contractu petatur, sive ex incerto: Immò etiam ex Delicto; nam, ex Lege Aquiliâ, & ex causa furtivâ per hanc actionem condicitur. Actio in Factum sivè Præscriptis verbis, est, quando agitur ex obligatione aliquâ quæ sub certo contractu non cadit. Nam, [c] Pacta pleraq; transeunt in proprium nomen Contractûs; sed, si in contractum specialem res non transeat, subsit tamen causa, ut puta, dedi tibi rem ut mihi aliam dares, vel dedi ut aliquid facias, hoc συνάλλαγμα, id est, contractus est, & hinc nascitur civilis obligatio, & civilis incerti actio, id est, Præscriptis verbis. Ita [d] evenit, ut cùm deficiant usitata Actionum nomina, descendamus ad eas Actiones quæ in factum appellantur, & Præscriptis verbis agendum sit. [e] Ad quod necesse est confugere, quoties contractus existunt quorum appellationes nulla jure civili proditæ sunt; cùm naturâ rerum conditum, sivè inductum sit, ut plura sint negocia quàm vocabula.

[b] D.12.1.9.

[c] D.2.14.17.

[d] D.19.5.1. & 2.

[e] D.19.5.23.

Iudicium Contractûs est, in quo Actio specialis ex contractu aliquo deducitur. Et competit ad id quod est de natura contractûs, & de quo convenit. Ejusmodi est ex contractu qui Re contrahitur,

1 Actio Mutui, vel [f] Condictio Certi ex Mutuo, quâ utitur is qui rem mutuò dedit, adversus eum qui rem mutuam accepit. Nam in Iudicio mutui id agitur, ut res ejusdem generis & eâdem bonitate solvatur quâ data est.

[f] D.12.1.2.

2 Actio Commodati, quæ datur hinc indè; Ei qui rem commodavit, ut rem eandem eâdem conditione recipiat, vel id quod interest; Nam, [g] Res non videtur reddita quæ deterior facta redditur, nisi quod interest præstetur, ei cui commodata est ad sumptus in rem factos recuperandos.

[g] D.13.6.3.

dos. Nam [h] possunt justæ causæ intervenire ex quibus cum eo qui commodâsset agi debeat, veluti de impensis in valetudinem servi factis. Item, qui sciens vasa vitiosa commodavit, si ibi infusum vinum vel oleum corruptum effusúmve est, eo nomine est condemnandus. 3. Actio Depositi quâ is qui rem deposuit contra eum qui suscepit agit. Et [i] Qui rem deposuit statim potest depositi agere; Dolo enim facit qui suscepit quod reposcenti rem non reddit. Et datur in simplum, [k] nisi depositum sit ex causâ ex necessitate descendente, tunc in Duplum. Sed & depositi Actio est [l] Bonæ fidei: & ideo fructus, & partus, & omnis causâ in eam venit. [m] In Depositi Judicio in litem quoq; juratur. Et [n] ei apud quem depositum est, Contrarium judicium depositi datur, in quo judicio in litem non juratur; non enim de fide ruptâ agitur, sed de indemnitate ejus qui depositum suscepit. 4. Actio pignoratitia competit ad recuperandum id quod pignori datum fuit, soluto priùs quod debetur. Nam [o] Qui rem pignori dedit, solutâ pecuniâ potest Pignoratitia experiri. [p] Omnis verò pecunia soluta esse debet ut nascatur pignoratitia actio. Sed & [q] si pecuniam debitor solvenit, potest pignoratitiâ actione uti ad recuperandum κατ' ἐξοχὴν, id est, usum pignoris quo creditor potitus est. [r] Si verò Creditor necessarias impensas fecerit in fundum quem pignoris causâ accepit, non tantum retentionem, sed etiam contrariam pignoratitiam actionem habet.

Ex Contractu Consensûs;

1 Actio empti & Venditi. Empti qua agit Emptor ut rem emptam ei habere liceat: Vel [s] si res vendita non tradatur, in id quod interest agitur, hoc est, quod rem habere interest Emptoris. Et [t] Omnia quæ contra bonam fidem fiunt, veniunt in Empti actionem, cum per venditorem steterit quo minus rem tradat. Sed & [u] Ex Vendito actio venditori competit ad ea consequenda quæ ei ab emptore præstari oportet. Veniunt autem in hoc judicium, imprimis pretium quantires venit, item usuræ precii

h D.13.6.18.
i D.16.3.1.2.
k D.16.3.1.
l D.16.3.1.24.
m D.16.3.1.26.
n D.16.3.5.
o D.13.7.9.
p D.13.7.9.
q D.13.7.33.
r D.13.7.8.
s D.19.1.1.
t D.19.1.21.
u D.19.1.13.20.

cii post diem traditionis. Nam cùm re emptor fruatur, æquissimum est eum usuras precii pendere. 2. Actio Conducti & Locati, quæ datur Conductori, & [x] Competit ferè ex his causis, si re quam conduxit uti frui non licet, vel si quid in lege conductionis convenit, si hoc non præstetur. Sed & [y] Si conductor in re conductâ, suâ operâ, aliquid necessariò aut utiliter fecit, ad recipienda ea quę impendit ex conducto cum Domino experiri potest. Item, Actio Locati Locatori datur pro mercede à Conductore recuperandâ unà cum usuris post moram. Itaq; [z] Præses Provinciæ ea quæ ex Locatione debentur exsolvi sine morâ curabit, non ignarus ex Locato & Conducto Actionem, cùm sit bonæ fidei, post moram legitimas usuras admittere. Quinetiam, [a] Qui contra Legem Conductionis, fundum ante tempus sine justa ac probabili causâ deseruerit, ad solvendas totius temporis pensiones ex conducto conveniri potest, quatenus Locatoris in id quod ejus interest indemnitas servetur. 3. Actio pro Socio, qua Socii de re communi, fructibus, aut impensis agunt. Nam [b] Si societas cum aliquo sit, & res ex societate communes, quas impensas in eas alter fecerit, quosve fructus ex his rebus alter ceperit, actione pro Socio consequi licet. Sed &, [c] Socius qui in eo quod ex societate lucri fecerit reddendo moram adhibuit, cùm eâ pecuniâ ipse usus sit, usuras quoq; præstare debet. 4. Actio Mandati, quæ primùm Mandanti competit, scilicet, [d] Si cui fuerit mandatum ut negocia administret, actione mandati erit conveniendus, quòd mandatum susceperit, & non gesserit. Cujusmodi [e] mandati actio tunc competit, cùm cœpit interesse ejus qui mandavit, cæterùm si nihil interest, cessat mandati Actio. Deinde [f] Contrario mandati judicio experiuntur qui mandatum susceperunt, ad sumptus mandati occasione factos. Nam [g] sumptus bonâ fide necessariò factos judicio mandati restitui necesse est. Sed [h] non omnia quæ impendit, mandatori imputabit, veluti quod spoliatus sit à latronibus, aut Naufragio res amiserit. Nam hæc ali-

x D.19.2.13.

y D.19.2.55.

z C.4.65.17.

a D.19.2.55.

b D.17.2.38.

c D.17.2.60.

d D.17.1.6.

e D.17.1.8.

f D.17.1.12.

g D.17.1.56.

h D.17.1.26.

bus magis quàm Mandato imputari oportet. In Iudiciis quæ ex contractibus vel Re vel Consensu descendunt, ulteriùs observandum est, quòd Regulariter dolus semper, quandoq; Culpa & Negligentia, nunquam verò Casus & Infortunium præstari debeat. Ita [l] In Deposito, quia nulla utilitas ejus versatur apud quem deponitur, meritò dolus præstatur solus; sed in Empto, in Locato, in societate, & pignore, ubi utriusq; utilitas vertitur, & Dolus & Culpa præstatur. In Commodato autem quod solùm utilitatem ejus continet cui commodatur, non solum Dolus & Culpa, sed etiam diligentia præstanda. [m] Animalium verò Casus, id est, mortes, quæq; sine culpa accidunt, fugæ servorum qui custodiri non solent, rapinæ, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum, à nullo præstantur. [n] Quæ ita, nisi si quid nominatim convenit vel plus vel minùs in singulis contractibus, Nam, hoc servabitur quod initio convenit; Legem enim contractus dedit.

l D.13.6.52.

m D.50.17.23.

n D.50.17.23.

Ex Contractu deniq; Verborum.

1. Actio ex stipulatu est qua agit is qui stipulatus est contra eum qui [o] spopondit ad præstandum id quod promisit. Nam, ubi quid fieri stipulamur, si non fuerit factum, juxta æstimationem facti, dandam esse petitionem, Iurisconsultus ait. 2. Actio ex Chirographo, vel ex syngraphâ; qua agitur contra [p] Chirographarium debitorem, id est, qui debitorem in scriptis se constituit.

o D.45.1.72.

p C.8.42.7.

SECT. 9.

De Iudicio Delicti.

Iudicium Delicti est, ex quo intentatur Actio circa delictum, veluti cum agitur, 1° Actione Iniuriæ, ut condemnetur is qui iniuriam fecit in quantum is qui passus est æstimaverit. 2° Actione Furti, quâ is cui res ablata sit, duplum persequitur si furtum sit non manifestum,

Qua-

Quadruplum si sit manifestum. 3. Actione damni, quâ ob damnum datum quis pro re læsa Valore summo convenitur. 4. Actione Noxali quæ pro damno à servo vel quadrupede illato intentatur. 5. Cùm agitur ad præcavendum damnum quod quis à facto vel culpâ alterius veretur.

SEcunda Species Iudicii quâ contra Personam de obligatione agitur, est Delicti Iudicium, quod non solùm ad recuperandum id in quo quis læsus est, sed etiam ulteriùs ad gravandum eum qui deliquit instituitur, undè Pœnale est ut plurimùm, nec ultra delinquentem ipsum extenditur, [a] In hæredem enim non solent actiones transire quæ pœnales sunt ex maleficio, Veluti furti, Damni, Injuriæ, Injuriarum; nisi lis sit contestata cum defuncto; tunc enim [b] Pœnalia Iudicia semel accepta in hæredes transmitti possunt.

In hoc Iudicio occurrit, 1° Actio Injuriæ quâ is cujus persona injuriâ afficitur agit, ut pro ipsius æstimatione & arbitrio Iudicis, fiat satisfactio. [c] Prætores enim permittunt ipsis qui injuriam passi sunt eam æstimare, ut Iudex vel tanti reum condemnet, quanti injuriam passus æstimaverit, vel minoris, prout ei visum fuerit. Et [d] secundum gradum dignitatis vitæq; honestatem crescit aut minuitur æstimatio injuriæ. [e] Qui verò agit injuriarum, certum dicat quid injuriâ factum sit; quia qui famosam actionem intendit non debet vagari cum discrimine alienæ existimationis, sed designare, & certum specialiter dicere quam se injuriam passum contendit. Præterea notandum, quòd [f] Injuriarum actio annuo tempore præscripta est. Secundò in delicti Iudicium venit actio furti, & [g] In duplum agimus furti nec manifesti, in quadruplum furti manifesti. Deindè omnis [h] Cujus interfuit non furripi, furti actionem habet; & [i] Furti etiam tenetur cujus ope & consilio furtum factum est. Tertiò, ad judicium delicti pertinet Actio Legis Aquiliæ, quâ, ratione damni in rebus

a D.50. 17. 111.

b D.50. 17. 164.

c l.4.4.6.

d l.4.4.7.

e D.47.10.7

f C.9.35.5.

g l.4.6.13.

h D.47.2.10.

i l.4.1.11.

bus illati, non solùm præsens rei valor, sed quanti anteà fuit rependitur. Nam [k] Legis Aquiliæ capite altero cavetur, qui servum vel pecudem alienam injuriâ occiderit, quanti id in eo anno plurimi fuit, tantum æs dare domino damnas esto: altero, [l] Cæterarum rerum, præter hominem & pecudem occisos, si quis alteri damnum faxit, quod usserit, fregerit, ruperit injuriâ, quanti ea res erit in diebus triginta proximis, tantum æs domino dare damnas esto. Vnde [m] Pœnalis est hujus legis actio, quia non solùm tanti quisq; obligatur, quantum damni dederit, sed aliquando longè pluris. [n] In actione verò Legis Aquiliæ, injuria est quod non jure factum est, hoc est contra jus, id est si culpa quis occiderit. Quarto huc etiam spectant, Noxalis actio, & Actio Si quadrupes pauperiem fecerit. E quibus [o] Noxalis actio est, quæ ex noxa atq; malificio servi adversus dominum instituitur, ut si damnatus fuerit dominus, liceat ipsi, deditione ipsius corporis quod deliquit, evitare litis æstimationem. [p] Nec enim debet ex maleficio servi in plus teneri quam ut noxæ eum dedat. Quod verum est, si servus domino nesciente fecerit; nam [q] si servus sciente domino occiderit, dominum in solidum obligat. Noxa autem sive noxalis actio caput sequitur, unde [r] si servus noxam commiserit quamdiu in tuâ potestate est, tecum est actio, si in alterius potestatem venerit cum illo incipit actio esse, & si manumissus fuerit directè ipse tenetur, & extinguitur noxæ deditio. Actio si quadrupes pauperiem fecerit, noxali actioni de servo affinis est. [s] Pauperies autem est damnum sine injuriâ facientis datum, nec enim potest animal injuriam fecisse quod intellectu caret. [t] Hâc actione lex voluit aut dari id quod nocuit, id est animal quod commisit, aut æstimationem noxiæ offerre. [u] Noxia autem est ipsum delictum. [x] Et Noxæ dedere est animal vivum tradere. Et [y] Generalitèr hæc actio locum habet, quoties contra naturam fera mota pauperiem dedit, ideoq; si equus dolore concitatus, calce petierit, cessat hæc actio, & qui equum percussit, in factum tenetur.

[k] D. 9. 2. 2.
[l] D. 9. 2. 27.
[m] I. 4. 3. 9.
[n] D. 9. 2. 5.
[o] D. 9. 4. 1.
[p] D. 9. 4. 2.
[q] D. 9. 4. 2.
[r] D. 47. 1.
[s] D. 9. 1. 1.
[t] D. 9. 1.
[u] D. 9. 1. 1. 1.
[x] D. 9. 1. 1. 14.
[y] D. 9. 1. 1. 7.

tenetur. Deinde [z] sive corpore suo quadrupes pauperiem fecerit, sive per aliam rem quam tetigit, hæc actio locum habet, ut putà, si plaustro bos obtrivit aliquem, vel aliâ re dejectâ. Postremò, ad præcavendum damnum quod ex delicto contingat, competunt Nuntiatio novi operis, & Actio damni infecti. [a] Nuntiatio Novi operis est solennis prohibitio vicino facta, ne in opere novo extruendo pergat, donec de jure ædificationis constiterit, aut præstita sit eo nomine satisdatio. Et [b] si quis contra fecerit, destruere cogetur. [c] Nuntiatio verò fit aut juris nostri conservandi causâ, aut damni depellendi; & [d] Opus novum nuntiare potest is ad quem res pertinet: [e] Iurare autem debet qui opus novum nuntiat, se non calumniæ causâ opus novum nuntiare. Deinde, [f] Nunciatio in re præsenti facienda est, id est, eo loci ubi opus fit, & sufficit in re præsenti nuntiare ei qui in re præsenti fiut domini operisve nomine, itaq; & fabris & opificibus qui eo loci operantur opus novum nunciari potest. [g] Actio damni infecti prospicit damno nondum facto, [h] Est enim damnum infectum damnum nondum factum quod futurum verenur: Vt si quis de ruinâ ædium vicinarum sibi vel suis metuat: unde [i] Prætor damni infecti suo nomine promitti, alieno satisdari jubet, ei qui juravit non calumniæ causa se id postulare. Deinde [k] si intra diem à Prætore constitutum non cavetur, is qui postulat in possessionem rei mittitur, si duretur non caveri, causa cognitâ, Prætor permittit ut possidere liceat.

z D.9.1.1.7.

a D.39.1.20.

b D.39.1.20.

c D.39.1.1.

d D.39.1.1.

e D.39.1.5.

f D.39.1.5.

g D.39.2.7.

h D.39.2.2.

i D.39.1.7.

k D.39.2.4.

SECT. 10.

De Iudicio Officii.

Iudicium, Officii est in quo quis convenitur occasione officii, ut rationem reddat eorum quæ gessit in Officio, Actione Ratiocinii, ut cum contra negotiorum gestorem, vel Procuratorem agitur de rebus gestis, vel Contra tutorem,

rem, ut respondeat de iis quæ fecit vel non fecit in administratione Tutelæ: Vel, cum contra Hæredem agitur ob id quod ad officium Hæredis spectat, Veluti ut sumptus in funus defuncti impensos restituat; Vel ut Legata, & alia quæ ex testamento præstanda sunt cum effectu præstet.

TErtia species Iudicii in quo contra Personam agitur, est Iudicium officii, in quod actio deducitur quæ ex officio descendit, qualis est Actio Ratiocinii quæ contra negotiorum gestorem, Procuratorem, Tutorem, vel hæredem instituitur: De quo in genere observandum, quod
a C. 3. 21. 1. b D. 3. 5. 2. [a] Qui aliena negotia administravit, ubi ea gessit, rationem reddere oportet. Et primò [b] Si quis absentis negotia gesserit, ultro citroq; nascitur actio, quæ appellatur Negotiorum gestorum, & sicut æquum est ipsum actûs sui rationem reddere, & eo nomine condemnari quicquid vel non ut oportuit gessit, vel ex his negotiis retinet; ita justum est, si utiliter gessit, præstari ei quicquid eo nomine vel abest ei, vel abfuturum est. Secundò
c D. 3. 3. 46. [c] Procurator cùm in cæteris negotiis, tum in litibus ex bonâ fide rationem reddere debet, unde siquid consequutus erit debet restituere, & impendia bonâ fide facta debere ei restitui æquitas suadet. Tertiò
d I. 3. 28. 2. e D. 27. 3. 1. [d] Tutelæ judicio tutores quasi ex contractu teneri videntur, & [e] In omnibus quæ fecit Tutor cum facere non deberet, & in his quæ non fecit rationem reddet, hoc judicio, præstando dolum, culpam, & quantam in rebus suis diligentiam. Sed
f D. 27. 3. 4. g D. 27. 3. 1. [f] Nisi finitâ tutelâ, Tutelæ agi non potest: Tum verò [g] Sciendum est hanc actionem perpetuam esse, & hæredi similibusq; personis dari, ex eo quod vivo pupillo cæptum est, sed in hæredes cæterosq; successores non datur, quia pœnalis est. [h] Qui verò Tutelæ
h D. 27. 4. 1. judicio convenitur, reputare potest id quod in rem pupilli impendit, vel Contrario Iudicio experiri [i] quo agere
i D. 27. 4. 3. k D. 27. 4. 3. potest de his quæ ei propter tutelam absunt; Et [k] consequitur pecuniam si quam de suo consumpsit, etiam cum usuris,

usuris, sed his quæ in regione observantur, vel his quibus mutuatus est, si necesse habuit mutuari, idq; donec ei reddatur pecunia; nec enim ei sterilis debet esse pecunia. Quartò contra hæredem ratione officii, Actio Funeraria, & Actio de Legato datur. 1o [l] Actio funeraria est quâ qui defunctum funeravit persequitur id quod impendit. Prætor enim ait, quod funeris causâ sumptus factus erit, ejus recuperandi nomine in eum ad quem ea res pertinet judicium dabo. Ita [m] datur hæc actio adversus eos ad quos funus pertinet, ut puta adversus hæredes cæterosq; successores. Nam [n] Impensa funeris ex hæreditate deducitur, quæ etiam omne creditum solet præcedere, cùm bona non sunt solvendo: multo magis legatis præfertur; unde, [o] si res legatæ sunt à Testatore de cujus funere agitur, nec sit undè funeretur, ad eas quoq; manum mittere oportet; satius est enim de suo Testatorem funerari, quam aliquos legata consequi. 2o Actio Legati competit pro Legato Conditionali, aut pro Legato puro. Pro Legato conditionali agitur, [p] ut Legatorum nomine caveatur, ut quibus testator dari fierive voluit, his diebus detur vel fiat, dolumq; malum abfuturum stipuletur. Itaq; [q] satisdabitur eis, aut si satis non datur, in possessionem bonorum Prætor venire jubet. Pro Legato puro & præsenti statim agitur, Nam [r] Hæres Legatorum nomine quasi ex contractu debere intelligitur. [s] Legatorum verò petitio adversus hæredes pro partibus hæreditariis competit. Et [t] Ibi peti debet Legatum, ubi major pars hæreditatis est, nisi probetur eo loco voluisse Testatorem præstari ubi petitur; Sed & [u] ibi peti potest ubi Hæres domicilium habet.

l D.11.7.12.

m D.11.7.14.

n D.11.7.45.

o D.11.7.14.

p D.36.3.1.

q D.36.3.1.

r I.3.28.5.

s D.31.1.4.

t D.5.1.5.

u D.5.1.5.

PARS SEPTIMA.

SECT. I.

De Iudicio publico.

IUdicium publicum est, in quo de Actione publicâ Processus ſpecialis & coërtio gravior abhibetur, actio publica est quæ pro iure aliquo publico competit, quod vel ſingulorum est, vel totius reipublicæ. Processus ſpecialis est, qui vel communi ſimplicior est cum pro neceſſitate negotii abſq; omni figurâ Iudicii proceditur, vel accuratior cùm pro negotii magnitudine omnia curioſiùs exiguntur, Coërtio gravior est quæ ultra Bona, etiam ad corpus & vitam extenditur. Estq; Iudicium publicum Statûs, Poſſeſſionis, & Obligationis publicæ.

QVemadmodum ad privata jura, ita etiam ad jura publica tuenda, Iudicia comparata ſunt, unde ratione materiæ circa quam verſantur, dici poſſunt Iudicia publica, quæ ex Actione publicâ inſtituuntur; cujuſmodi Actio fundatur & in jure publico ſingulorum; A quo [a] Actio popularis quæ ſuum jus populi tuetur, ad quam exercendam cuivis aditus patet: Et in jure totius reip. à quo Actio publica magis peculiari nomine dicitur, [b] quæ ex legibus publicorum judiciorum venit, id est de quibus leges latæ ſunt, ut coram populo in publico tanquam cauſæ famoſiores dijudicarentur.

a D.41.23.

b D.48,1. 1.

Deinde, è cauſis publicis, aliæ non ſolùm ſummariè, ſed etiam

etiam [e] de plano possunt expediri, quia tribunal non requirunt, & in iis non debet is qui Iuridicundo præest [f] subtilitèr cognoscere; aliæ verò pleniorem cognitionem requirunt, quia, ubi periculum majus intenditur, ibi est pleniùs consulendum. Deniq; in Iudiciis publicis gravior coërcitio adhibetur, unde § Publicorum judiciorum quædam non Capitalia, quædam Capitalia sunt. Non capitalia sunt, ex quibus pœna pecuniaria est, aut in corpus aliqua coërcitio. Capitalia sunt, ex quibus pœna mors est, servitus, aut exilium.

e D.1.18.9.
f D.36.4.1.
g D.48.1.2.

SECT. 2.

De Iudicio Statûs publici, & de Iudicio Subjectionis.

Iudicium Statûs publici est in quo quæritur de statu quo quis refertur ad remp. Estq; vel subjectionis, vel magistratûs, vel Maiestatis.

Iudicium subiectionis est in quo quæritur quis subditus sit necnè, ut, cùm is qui extraneus habetur jura subditi ad se pertinere contendit, vel ei qui iura subditi usurpat quòd non sit subditus objicitur.

VTrùm subditus quis sit necne in Iudicio quæritur, cùm de iis agitur quæ propria sunt subditorum. [a] De Iure verò omnium incolarum quos quæq; civitas sibi vindicat, Præsidum Provinciarum cognitio est; Cùm tamen se quis negat incolam esse apud eum Præsidem Provinciæ agere debet, sub cujus curâ est ea civitas à quâ vocatur ad munera, non apud eum ex quâ ipse dicit se esse oriundum.

a D.50.1.37.

SECT. 3.

De Iudicio Magiſtratûs.

Iudicium Magiſtratûs eſt, in quo quaritur quis Magiſtratus ſit, aut an Juriſdictionem habeat necnè, ut cùm diverſi Magiſtratus de Territoriis & finibus litigant, vel alius Iuriſdictioni alterius ſe intromittit; vel qui eundem Magiſtratum ambiunt, de Electione contendunt; vel qui delignatus eſt, Magiſtratum fugit; vel cùm in dubium vocatur, utrum quis ratione Perſonæ, aut cauſæ, Iuriſdictionem habeat.

CVm diverſi Magiſtratus ſub eodem Principe de Territoriis litigant, ad inſtar judicii finium regundorum agitur; Si quis in Iuriſdictionem alterius intrudat, ei ſuccurritur ex Interdicto [b] Vti poſſidetis, quo victor evadit, qui vel de finibus vel de exercitio antiquiorem poſſeſſionem probat, id eſt, pro quo magis faciunt, notorietas, inſtrumenta antiqua, & teſtes qui de actibus exercitæ Iuriſdictionis deponunt. Cùm de Electione contenditur, apud eum penès quem eſt Electionem confirmare, Exceptiones contra perſonam Electi, vel Eligentium, vel contra modum Eligendi proponuntur. Cùm quis magiſtratu abſtinet; [c] ſi in municipio creatus munere injuncto fungi detrectet, per Præſides munus agnoſcere cogendus eſt. Et [d] Si ad Magiſtratum nominati aufugerint, requirendi ſunt. & ſi pertinaci eos animo latêre patuerit, his ipſorum bona ſunt permittenda qui in locum eorum ad munera vocabuntur. Cùm verò quis infra territorium Magiſtratum declinat, exemptionis cauſas, ratione ſcilicet Perſonæ, vel rei, apud eundem proponere debet; Nam [e] ſi quis ex alienâ Iuriſdictione ad Prætorem vocetur, venire debet. Prætoris eſt enim æſtimare an ſua ſit Iuriſdictio, vocati autem non contemnere autoritatem Prætoris. Nam

[b] *Weſſ.* ad 2. I. 12.

[c] D. 50. 49.

[d] D. 50. 2. 18.

[e] D. 5. 1. 5.

Nam & Legati cæteriq; qui revocandi domum jus habent, in eâ sunt causa ut in jus vocati veniant privilegia sua allegaturi.

SECT. 4.

De Iudicio Majestatis.

Iudicium Majestatis vel imperii est in quo quaritur de potestate aliquâ quæ propriè spectat ad Principem, ut cùm quis jura quæ à Principe solo conceduntur absq; ipsius licentiâ usurpat, vel is qui à Principe ejusmodi potestatem habet in eius exercitio impeditur.

QVæstiones de summâ Imperii sub judicio civili non cadunt, Potestates verò quæ ab imperio pendent illius autoritate maximoperè muniuntur. Etenim si quis Collegium instituere, pondera aut mensuras fingere, vectigalia imponere, aut alia ejusmodi quæ sunt Principis propria, absq; illius licentiâ ausus fuerit, Iudicio civili coërcetur. Ita [a] Mandatis Principalibus præcipitur Præsidibus Provinciarum, ne patiantur esse Collegia & sodalitia illicita, &, ut si fuerint illicita Collegia dissolvantur. Item [b] Qui mensuras publicè probatas vini, frumenti, vel cujuslibet rei corruperit, quanti ea res est, dupli condemnatur. Et [c] siquis super cudendo ære, vel rescripto Principis, vel etiam adnotatione sibi arripuerit facultatem, non solùm fructum propriæ petitionis amittit, verum etiam pœnam quam meretur excipiet. Item [d] Non solent nova vectigalia inconsultis Principibus institui; Ergo & exigi aliquid quod illicitè poscatur competens Iudex vetabit, & id quod exactum videtur, si contra Iuris rationem extortum est, restitui jubebit.

a D. 47. 22. 1.

b D. 48. 10. 32.

c C. 9. 24. 3.

d C. 4. 62. 3.

SECT. 5.

De Iudicio Possessionis publicæ, & de Iudicio Dominii publici, vel rei publicæ.

Iudicium Possessionis publicæ est, quod de re aliquâ ad rem. pub. pertinente instituitur; Estq; vel Dominii, vel Vsûs, vel Patrimonii publici. Iudicium Dominii publici vel rei publicæ est in quo de proprietate rei quæ spectat ad remp. controvertitur. Vt cùm res quæ à privato detinetur nomine publico vindicatur; vel res nomine publico vindicata exceptione iustæ alienationis defenditur.

[a] I.4.15.1. AD possessionem publicam tuendam inventa sunt Interdicta & Prohibitoria, & restitutoria. Prohibitoria sunt quæ imperant ne quid fiat in præjudicium Reipub, Restitutoria, quæ si quid fiat restitui jubent.

Dominium publicum iisdem actionibus quibus dominium privatum tueri licet. Et [b] Defensionis facultas conceditur iis quibus aliquam inquietudinem fiscus infert. [b] C.10.1.7. Et [c] Quamvis Agros Reip. retrahere curator civitatis debet, licèt à bonæ fidei emptoribus possideantur, cùm possint ad autores suos recurrere: [d] retractare tamen fiscum [c] D.50.8.9. quod semel vendidit, æquitatis honestatisq; ratio non patitur. [d] D.10.5.2.

SECT. 6.

De Iudicio Vsûs, sive Loci publici.

Iudicium Vsus sive Loci publici est in quo agitur de usu Loci publici, veluti De viâ publicâ, De flumine publico, & similibus.

Ad

AD tuendum usum rei vel loci publici qui competit universis subditis, etiam specialia interdicta habentur. Nam [a] cuilibet in publicum petere permittitur, id quod ad usum omnium pertinet, veluti vias publicas, itinera publica, & ideò quolibet postulante de his interdicitur. [a] D. 43. 7. 1.

Primò Interdicto Ne quid in loco publico fiat, jubet Prætor [b] Ne quid facias ínve eum locum immittas qua ex re quid illi damnum detur. Quod interdictum prohibitorium est, & tam publicis utilitatibus quàm privatorum prospicit. [b] D. 43. 8. 2.

Secundò ad Ædilium etiam officium spectat curare, [c] ut quæ secundum civitates sunt viæ adæquentur, & ut pontes fiant ubicunq; oportet. Item ut nullus effodiat vias neq; subruat, neq; construat in iis aliquid. Item ut consternat unusquisq; vias publicas secundum propriam domum, ut non prohibeatur vehiculum transire, deniq; ut non permittant in viis stercora projicere, neq; morticinia neq; pelles jacere. [c] D. 43. 10. 1

Tertiò ad tuendum usum fluminis publici, datur Interdictum [d] Ne quid in flumine publico ripáve ejus facias, ne quid in flumine Publico ripáve ejus immittas, quo statio iterve navigio deterius fiat. Quinetiam si quid in eo flumine quod navigabile non est fiat ut exaresçat, vel aquæ cursus impediatur, utile interdictum competit Ne vis fiat ei quo minus id opus quod in alveo fluminis ripáve ita factum sit, ut fluminis cursus deterior sit, tollere, demoliri, purgare viri boni arbitratu possit. [d] D. 43. 11. 1.

SECT. 7.

De Iudicio publici Patrimonii sive Fisci.

Iudicium Publici patrimonii est quod de bonis ad fiscum pertinentibus instituitur: ut, cùm à privato quid defertur, vel à Magistratu refertur Principi.

IN judicio Fiſci multa ſunt privilegia: nam [a] Ejus cauſa priùs eſt excutienda, & [b] Inſtrumenta ad fiſcum pertinentia etiam reus tenetur exhibere. Et tamen Iudex [c] non delinquit qui in dubiis quæſtionibus contra fiſcum facilè reſponderit. Et primò [d] Nunciatio ad fiſcum fieri ſolet ex variis cauſis, ex tot ſcilicet quot res ad fiſcum devolvuntur. Vndè aut quòd tacitè relictum eſt eiqui capere non poteſt defertur, vel quòd indignus quis hæres nunciatur, vel quòd Princeps hæres inſtitutus eſt, & teſtamentum vel Codicilli ſubrepti eſſe nuntiantur; [e] Vacantium autem, bonorum nunciatio quadriennio finitur. Et [f] In fiſci cauſis pacti cum delatoribus pro confeſſis habentur, ſi modò pretium vel modicum dederint. Deinde ne ex delatione fiat injuria, per diſquiſitionem Magiſtratûs, Principi fit Intimatio; ita Imp. [g] Si vacantia, vel alio modo bona delata legibus ad ærarium perhibeantur, certi Palatini electi, jurejurando obſtricti mittuntur, ut eorum inſtantiâ Præſes Provinciæ, præſente fiſci patrono diligentèr inquirat, cujus vacans cadenſq; fuerit patrimonium, quantumq; & quale videatur, ut cùm datâ reclamandi facultate neminem id jure vindicare, locumq; ærario factum eſſe tam ipſius relatione, quàm publicorum monumentorum fide conſtiterit, rerum notitia Principi intimetur, ut juſſu ipſius bona vacantia, vel res aliæ ærarii nomine occupentur. Nec ſolùm cum hominibus ſingulis, ſed etiam cum civitatibus de hujuſmodi bonis contenditur; ita enim reſcripſit Imperator, [h] Inteſtatorum res qui ſine legitimo hærede deceſſerint fiſci rationibus vindicandas, nec audiendas eſſe civitates quæ ſibi earum vindicandarum jus, veluti ex permiſſu arrogare nituntur, & quæcunq; inteſtatorum bona civitates obtentu privilegiorum ſuorum occupaverint ad fiſcum eſſe revocanda.

[a] D.49.14.35.
[b] D.49.14.2.
[c] D.49.14.10.
[d] D.49.14.1.
[e] D.49.14.1.
[f] D.49.14.4.
[g] C.10.10.5.
[h] C.10.10.1.

SECT.

SECT. 8.

De Iudicio Obligationis publicæ, & de Iudicio Publicæ Conventionis.

Iudicium Obligationis publicæ est, quo agitur de eo quod quis reip: præstare aut facere tenetur, estq; vel Conventionis, Delicti, vel Officii publici. Iudicium publicæ Conventionis est in quo agitur ratione Censûs de munere in Repub. obeundo; vel ratione Pollicitationis aut contractûs, de eo quod quis ultrò, vel ex aliquâ causa in se suscepit præstare Reipublicæ.

IN causis fisci vel reip: in quibus ex obligatione agitur, non minor favor impenditur, quàm in causis ex quibus agitur de Dominio. Vnde, [a] Res eorum qui fiscalibus debitis per contumaciam satisfacere differunt distrahuntur. a C.10.21.1.

Et primò agi potest ex conventione necessariâ pro muneribus Patrimonialibus & personalibus Reip. præstandis; ita Imperator, [b] Omnia tributa à moderatoribus Provinciarũ exigi debent, & siqui ex Possessoribus, ad non inferenda quæ debentur audaces extiterint, per militare auxilium, si opus exegerit, sunt compellendi. Et [c] Præses Provinciæ providere debet, munera in civitatibus æqualitèr per vices injungi, ne sine discrimine & frequentèr iisdem oppressis, simul viris, & viribus destituatur Respub. [d] Qui verò à muneribus civilibus sibi vindicant excusationem, appellationem interponere debent, & qui tempora præfinita ejusmodi appellationem peragendi, non servaverint, meritò præscriptione repelluntur. Nec minùs instituitur Iudicium ob id quod ex Conventione voluntariâ reip. debetur; ita [e] De Pollicitationibus in civitatem factis Iudicum est cognitio. Et si quis de rebus ad rempub. pertinentibus contractum inierit similiter tenetur, ut de fundis vel proventibus conductis; Ita enim [f] Per omnes Provincias patrimonialium fundorum ab ordinariis judi- b C.1.37.1. c D.50.3.3. d D.50.5.1. e D.50.12.8. f C.11.61.7.

cibus Canon exigendus est. Et, [g] Non solutis vectigalium pensionibus, pellere conductores, nec dum tempore conductionis completo, vel ab iis usuras ex morâ exigere, permittitur. Nec solùm qui cum Rep. contrahunt, sed & eorum fidejussores conveniri possunt; tum verò [h] qui pro alio à fisco conventus debitum exolvit, non iniquè postulat prosequutionem bonorum illius pro quo solvit; in quo etiam adjuvari per officium solet. Sed & contra debitores debitorum resp. agit; hoc tamen observato, quod [i] Non aliter fiscus debitorum suorum debitores convenire possit, nisi Principales debitores defecerint; vel ex ratione fisci nomina in facto liquido probentur, vel ex contractu fiscali debitores conveniantur.

g D.39.4.10.

b D.49.14.45.

i D.49.14.3.

SECT. 9.

De Iudicio Criminis, sive Delicti publici.

Iudicium Criminis est in quo agitur ad supplicium reip. debitum ob læsam rempublicam, Idq; vel criminis mediatè in remp: commissi; veluti in personas singulorum, ut Homicidii, stupri, violentiæ; vel immediatè in remp. perpetrati, ut in Personas publicas, Perduellionis seu læsæ majestatis, Conjurationis, & seditionis; in Res publicas, Falsæ moneta, Peculatûs, & Annonæ flagellatæ.

IVdicia quæ de Criminibus vel delictis publicis instituuntur, utpote in quibus de reip: & hominum privatorum præjudicio maximè agitur, multa habent specialia. Nam primò, quod ad ordinem spectat, per viam Accusationis, inquisitionis, & denunciationis proceditur. E quibus, Accusatio est voluntaria criminis delatio sub periculo consimilis pœnæ; quippe [a] Libelli accusatorii conceptio talis est, Apud illum Prætorem, vel Proconsulem, Lucius Titius professus est se Mævium de tali crimine proferre,

a D.43.2.1.

ferre, quod dicat eum in civitate illâ, in domo illius, Consulibus illis mense illo, commisisse. Deindè [b] accedere debet in crimen subscriptio, quæ ad id inventa est ne facilè quis prosiliat ad accusationem, cùm sciat inultam sibi accusationem non futuram. Sed & [c] Accusatorum temeritas tribus modis detegitur; aut enim Calumniántur, aut Prævaricantur, aut Tergiversantur; Calumniari est falsa crimina intendere. Prævaricari vera crimina abscondere, cùm quis colludit cum reo, & translatitiè munere accusandi defungitur, eo quòd proprias quidem probationes dissimulat, falsas verò rei excusationes admittit. Tergiversari est in universum ab accusatione desistere. Deindè Inquisitione Magistratûs crimina ad Iudicium deducuntur, cùm [d] Congruat bono & gravi Præsidi sacrilegos, latrones, plagiarios, & fures conquirere, & prout quisq; deliquerit in eum animadvertere. Tum etiam ad denuntiandum magistratibus delicta, constituti sunt [e] Irenarchæ, quibus mandatur, ut cùm apprehenderint Latrones, interrogent eos de sociis, & receptatoribus, & interrogationes literis inclusas atq; obsignatas ad cognitionem magistratûs mittant, ex quo qui cum elogio mittuntur ex integro audiendi sunt, & cùm Magistratus quæstionem facit, jubere oportet venire Irenarchen & quod scripserit exequi (id est, probare.)

b D.48.2.7.

c D.48.16.1.

d D.1.18.13.

e D.18.3.8.

Secundo Rei apprehensi pro qualitate delicti arctiùs cohibentur. [f] De custodia verò reorum Proconsul æstimare debet, utrùm in carcerem recipiendâ sit persona, an militi tradenda, vel fidejussoribus committenda; & hoc, vel pro crimine quod objicitur, vel propter honorem, aut propter facultates, vel pro innocentiâ & dignitate ejus qui accusatur, facere solet; Et quamvis in vincula conjicere potest, in vincula tamen conjiciendus non est qui fidejussores dare paratus est, nisi si tam grave scelus admisisse eum constet, ut neq; fidejussoribus, neq; militibus committi debeat, verùm hanc ipsam carceris pœnam ante supplicium sustinere.

f D.18.3.1.

Tertio in Iudiciis criminalibus [g] Ad crimen prosequendum Procurator non intervenit, & multo minus ad defendendum.

Quartò ad probationes quod spectat, [h] In criminibus, de suspicionibus non debet aliquis condemnari. Satius enim est impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem condemnari; Imò [i] scire debent cuncti accusatores, eam rem in publicam notionem se deferre debere, quæ munita sit idoneis testibus, vel instructa apertissimis documentis, vel indiciis ad probationem indubitatis, & luce clarioribus expedita. In quibusdam tamen atrociori-bus, Iudices si certis veluti indiciis ducti investigandæ veritatis gratiâ ad tormenta putaverint esse veniendum, id demùm facere debent si personæ Conditio patiatur; Etenim decuriones (& in dignitate positi) exortes sunt pœnarum quas fidiculæ & tormenta constituunt: Majestatis tantummodo reos, & ex ordine municipali manet tam cruenta conditio. Tum verò ita [l] Tormenta adhibenda sunt; ut moderatæ rationis temperamenta desiderant, & [m] sic quæstionem habere oportet ut reus salvus sit vel innocentiæ vel supplicio.

Quintò, in ferendâ sententiâ in causâ criminali, [n] Prospiciendum est judicanti ne quid aut durius aut remissius constituat quàm causa deposcit. Nec enim aut severitatis aut clementiæ gloria affectanda est, sed propenso judicio prout quæq; res postulat statuendum est. Planè in levioribus causis proniores ad lenitatem Iudices esse debent, in gravioribus pœnis, severitatem legum cum aliquo temperamento benignitatis sequi. Hæc de Iudicio criminis in genere. Inter ejus species occurrit 1. Iudicium homicidii quo agitur de cæde hominis, [o] cujus pœna ex lege Corneliâ de sicariis est Insulæ deportatio, & omnium bonorum ademptio; altiores scilicet in insulam dantur, humiliores solent vel bestiis subjici. [p] Quæ lex non solùm homicidas ultore ferro prosequitur, sed & eos qui hominis occidendi causâ cum telo ambulant. [q] Lenienda autem

[g] D.48.1.13.
[h] D.48.19.5.
[i] C.4.19.25.
[l] D.48.18.10.
[m] D.48.18.7.
[n] D.48.19.11.
[o] D.48.8.3.
[p] I.4.18.5.
[q] D.48.8.1.

tem est pœna ejus qui in rixâ casu magis quam voluntate homicidium admisit.

2. Iudicium stupri est, in quo de crimine impudicitiæ, vel de læsa alicujus pudicitiâ agitur, ex [r] Lege Iuliâ de adulteriis, quæ temeratores alienarum nuptiarum gladio punit. Ei qui virginem vel viduam honestè viventem stupravit, pœnam irrogat, si honestæ conditionis sint, publicationem partis dimidiæ bonorum, si humiles, corporis coërcitionem cùm relegatione. Sed [f] & Stuprum in sponsa, eâdem pœna vindicatur; quia nec matrimonium quale cunq; nec spem matrimonii violare permittitur; Imò [t] Qui domum suam ut stuprum vel adulterium fieret, sciens præbuerit, vel quæstum ex adulterio uxoris suæ fecerit cujuscunq; sit conditionis quasi adulter punitur.

[r] I. 4. 18. 4.

[f] D. 48. 5. 13.

[t] D. 48. 5. 8.

3. Iudicium de vi est, quod [u] ex lege Iulia de vi publica seu privata, instituitur adversus eos qui vim vel armatam vel sine armis commiserint; & si armata vis arguatur, deportatio ex lege Iuliâ irrogatur, si sine armis, in tertiam partem bonorum publicatio imponitur. Atq; hæc de judiciis criminum quæ mediatè pertinent ad rempublicam.

[u] I. 4. 18. 8.

In judiciis criminum quibus immediatè læditur resp. sunt Iudicium læsæ Majestatis, Conjurationis, & Seditionis, Peculatûs, Falsæ Monetæ, Annonæ Flagellatæ, & similium.

1. Iudicium læsæ Majestatis est in quo agitur [x] ex lege Iulia Majestatis, quæ in eos qui contra Imperatorem vel remp. aliquid moliti sunt, suum rigorem extendit. Cujus pœna animæ amissionem sustinet, & memoria rei etiam post mortem damnatur. Imò ulterius statuitur, ut [y] Quisquis majestatis crimen perpetrare vel cogitaverit, (cum eâdem severitate voluntatem hujus sceleris, quâ effectum puniri jura voluerint,) ipse utpotè majestatis reus gladio feriatur, bonis ejus omnibus fisco addictis. Deinde, ut filii ejus qui paterno deberent perire supplicio, in quibus paterni, hoc est hæreditarii criminis, exempla metuuntur,

[x] I. 4. 18. 3.

[y] C. 9. 8. 5.

untur, ab omnium aliorum hæreditate & successione alieni sint perpetuò egentes, eosq; paterna infamia semper comitetur, ad nullos honores, ad nulla sacramenta perveniant, sint postremò tales, ut perpetuâ egestate sordentibus, sit & mors solatium, & vita supplicium. [r] Quod etiam de satellitibus, consciis, ac ministris, filiisq; eorum simili severitate censetur.

r C.9.8.5.

2 Iudicium conjurationis est, in quo ex eâdem Lege, eodem supplicio afficiuntur, [s] Qui de nece virorum illustrium, qui consiliis & Consistorio Principis interfunt, vel Senatorum (cùm & ipsi pars sint corporis Imperatorii) cogitaverint.

s C.9.8.5.

3 Iudicium seditionis est quo [t] Autores seditionis & tumultus, populo concitato, pro qualitate dignitatis, aut in furcam tolluntur, aut bestiis objiciuntur, aut in insulam deportantur.

t D.48.19. 38.

4 Iudicium peculatûs est in quo agitur [u] ex lege Iulia Peculatûs, ut hujus criminis rei Peculatûs pœnæ subjiciantur, quæ est deportatio, in quem statum qui deducitur sicut omnia pristina jura ita & bona amittit.

u D.48.13. 1. & 3.

5 Iudicium Falsæ monetæ est; in quo, ex Constitutione Constantini, [x] si quis nummos falsâ fusione formaverit, universæ ejus facultates fisco addicuntur & solidorum adulter flammarum exustionibus mancipatur.

x C.9.24.2.

6 Iudicium Annonæ flagellatæ est, in quo [y] ex lege Iulia de annona, pœna viginti aureorum statuitur adversus eum qui contra annonam fecerit. [z] Dardanariis verò interdum negotiatione interdicitur, interdum relegari solent, & humiliores ad opus publicum dari.

y D.48.12.2.

z D.47.11.6.

SECT. 10.

De Iudicio Officii publici.

Iudicium publici Officii est in quo agitur de eo ad quod quis occasione eorum quæ egit in officio reip. tenetur: veluti

luti qui bonorum reip. curam susceperit, rationem reddere; qui magistratum gerit, pro Ambitu, Concussione, Residuo, & Repetundis satisfacere; & qui Iustitiæ propiùs inserviunt, de Crimine falsi, Calumniæ, Prævaricationis, Tergiversationis, & Iniqui Iudicii respondere.

IVdicium publici officii institui potest primò ad rationem reddendam de bonis reip: quæ quis in officio administravit, deinde ad Pœnam delicti vel criminis quod quis in officio vel circa officium admisit.

Prioris generis est judicium quo conveniuntur curatores rerum publicarum, qui si [a] negligentèr in distrahendis bonis se gesserint, in simplum tenentur, si per fraudem in duplum. Sed & [b] Nominum, quæ tempore Curatoris facta sunt deteriora, periculum ad ipsum pertinet, Et si quid malè cesserit, [c] Curator etiam nomine Collegæ tenetur, si intervenire & prohibere eum potuit.

a D.50.8.9.

b D.50.8.9.

c D.50.8.9.

Posterioris generis est Iudicium quod contra Magistratus vel ministros Iustitiæ instituitur. Contra Magistratus, veluti,

1 Iudicium ambitûs cujus pœna in urbe Romanâ ex lege Iuliâ erat deportatio, in municipio ex Senatus-consulto, centum aureis cum infamiâ puniebatur. [d] D.48.14.1.

2 Iudicium concussionis, quod restitutione & multâ puniebatur, cùm [e] Iudex competens memor censuræ publicæ post restitutionem pecuniæ etiam concussionis crimen inultum non pateretur. e D.12.5.3.

3 Iudicium repetundarum, in quo [f] ex lege Iulia repetundarum, delinquentes extra ordinem puniebantur plerunque exilio, vel etiam duriùs prout admisissent. f D.48.11.7.

4. Iudicium Residui in quo [g] ex lege Iulia peculatûs qui publicam pecuniam in usu aliquo acceptam retinuit, nec erogavit, amplius tertiâ parte quam debuit puniebatur. g D.48.13.4.

Contra Ministros Iustitiæ.

Iudicium falsi quod ex lege Corneliâ de falsis exercetur.

tur, cùm quis ad pervertendum judicium falsas testationes vel instrumenta falsa adhibuit, [b] cujus pœna est deportatio & omnium bonorum publicatio; & servus ultimo supplicio affici jubetur; & irrogatur ei qui falsas testationes faciendas testimoniáve falsa inspicienda dolo malo conjecerit, sive curaverit. Sed & [i] eâdem pœnâ afficitur qui ob testimonium dicendum vel non dicendum pecuniam acceperit.

b D.48.10.4.

i D.48.10.1.

Iudicium Calumniæ est, in quo pœna [k] ex lege Remniâ irrogatur, ut τὸ κ, fronti calumniatoris inuratur, vel, idem supplicium de quo reus periclitabatur. Nam [l] Quisquis crimen intendit, scire debet non impunitam fore mentiendi licentiam, cùm Calumniantes ad supplicium poscat similitudo supplicii.

k D.48.16.1.

l C.9.46.6.

Iudicium Prævaricationis est in quo etiam [m] Prævaricatores eâdem pœnâ afficiuntur quâ tenerentur si ipsi in legem commisissent, quâ reus per prævarication em absolutus est; vel [n] Iis qui prævaricati sunt, pœna injungitur extraordinaria.

m D.47.15.6.

n D.47.16.2.

Iudicium Tergiversationis est in quo [o] siquis probetur crimen publici judicii destituisse, senatusconsulto pœna quinq; auri Librarum in desistentem statuitur.

o D.47.16.3.

Atq; hæc ad partes, Testes, Procuratores & Advocatos pertinent, contra ipsos Iudices instituitur Iudicium iniqui Iudicii, in quo [p] si Iudex peccaverit, per imprudentiam, tenetur in tantum in quantum eâ de re æquum religioni judicantis videbitur. [q] Si quis verò pretio depravatus, aut gratiâ, perperam judicaverit, ei quem læsit non solum æstimationis dispendii, sed etiam litis discriminis vindicta præbebitur. [r] Novo autem jure qui ob judicandum quid accepit, vel promissum habuit, si causa pecuniaria sit, dati triplum, promissi duplum, ab eo exigetur, dignitate seu cingulo amisso: Si verò criminalis causa fuerit, confiscatis omnibus bonis mittetur in exilium. Denique; pravos Iudices ex voto Leonis & Alexandri Imperatorum adhuc gravior manet pœna, ita enim illi: Non arbitra-

p D.50.13.6.

q C.7.49.2.

r C.7.49.2.

C. Leo. & Alex.

arbitramur aliquem eorum qui Iudiciario fungumtur munere eò unquam stuporis aut inscitiæ prorupturum ut aliter quàm ex præscripto legum judicium sententiámve ferre audeat. Quòd si quis in tantam evaserit dementiam, reus peractus eas dependat pœnas quæ legibus sunt irrogatæ. Sin fortè nos effugerit, Pervigilem tamen illum atq; insomnem oculum, cui nihil quàm occultum sit non patet, effugere non poterit. Sed & idipsum imprecationibus dirisq; execrationibus stabilire ac firmare ex re fore existimavimus, experiatur igitur sibi hostem Deum, & ei omnes cœlestes ac incorporeæ potestates adversentur. Immaturè ex hâc vita excidat potiùs quàm excedat; Incommodis insuper afficiatur perpetuis; Ipsius ædium fundamenta ignis devoret; & posteritas eò redigatur inopiæ ut panem ostiatim quæritet. Atq; hæc meritò, quod leges quas liberrimas esse oportuit, fictorum pravorumq; judiciorum servas quodammodò atq; captivas fecerit.

FINIS.

DESCRIPTIO
IVRIS & IVDICII
TEMPORALIS
SECVNDVM CONSVETVDINES *FEVDALES ET Normannicas.*

OXONIÆ,
Excudebat LEONARDUS LICHFIELD,
Anno Dom. 1636.

PARS PRIMA.

Sectio

1 *De Iure Temporali.*
2 *De Personis temporalibus, & de Domino supremo.*
3 *De Dominis intermediis.*
4 *De Plebe temporali.*
5 *De Rebus temporalibus, & de Dominico temporali.*
6 *De Feudo Nobili.*
7 *De Feudo Plebeio.*
8 *De Officiis temporalibus, & de Officio Domini supremi.*
9 *De Officio Dominorum inferiorum.*
10 *De Officiis Plebis temporalis.*

PARS II.

Sect.

1 *De Negotiis temporalibus, & de Creatione feudi.*

2 De *Acquisitione Temporali, & de Acquisitione Feudi.*
3 De *Acquisitione Iuris in feudo.*
4 De *Acquisitione Rerum mobilium.*
5 De *Contractu temporali, & de Contractu circa feudum.*
6 De *Contractu de Iure in feudo.*
7 De *Contractu de Re mobili.*
8 De *Delicto temporali, & de Delicto contra Fidelitatem.*
9 De *Delicto contra Pacem.*
10 De *Delicto contra Officium temporale.*

PARS III.

Sect.

1 De *Iudicio temporali.*
2 De *Curiis temporalibus, & de Curiis Domini supremi.*
3 De *Curiis Dominorum superiorum.*
4 De *Curiis Dominorum inferiorum.*
5 De *Cognitione temporali, & de Cognitione Per Iudicium Parium.*
6 De *Cognitione per Duellum.*
7 De *Cognitione per Purgationem Sacramentalem.*

8 De Coërcitione temporali, & de Coërcitione circa bona.
9 De Coërcitione circa ſtatum.
10 De Coërcitione circa corpus.

PARS IV.

Sect.

1 De Iudicio circa negotia temporalia in ſpecie, & de judicio circa creationem feudi.
2 De Iudicio Acquiſitionis temporalis, & de Iudicio Acquiſitionis feudi.
3 De Iudicio Acquiſitionis Iuris in feudo.
4 De Iudicio Acquiſitionis rei mobilis.
5 De Iudicio Contractus temporalis, & de Iudicio Contractus circa feudum.
6 De Iudicio Contractus de Iure aliquo in feudo.
7 De Iudicio Contractus de re mobili.
8 De Iudicio Delicti temporalis, & de Iudicio Delicti contra Fidelitatem.
9 De Iudicio Delicti contra Pacem.
10 De Iudicio Delicti contra officium temporale.

PARS PRIMA.

SECT. I.

De Iure Temporali.

IUs temporale est quod in Communione seculari secundum Consuetudines & leges temporales observatur. Communio secularis est quæ bona huius vitæ respicit, & Fidelitate & Pace sustinetur. Fidelitas est obligatio, ex quâ ob protectionem subditi dominis pro viribus auxilium debent. Pax est vinculum quo tenentur subditi se invicem non lædere. Consuetudines sunt mores & usus antiquitùs recepti. Leges sunt iura scripta, publicâ autoritate promulgata. Quæ primùm circa personas, res & officia temporalia in genere, deindè circa negotia temporalia in specie versantur.

POstquam in imperio Religio Christiana adolevit, unâ cum republicâ crevit Ecclesia, & pro cujusq; diverso fine distincta etiam communio introducta est, secularis scilicet, & sacra. E quibus communio secularis hujus vitæ bona respicit, & Fidelitate & Pace sustinetur. Nam cùm de Iure Romano inter Magistratus &

subditos, Reipublicæ tantum intuitu obligatio intercederet, postquam exemplo Regum Longobardorum Imperatores Romani terras in feudum concesserunt inter dominos & vasallos ob beneficium ipsis ac familiæ datum arctius vinculum constituebatur, undè pro obedientiâ quam generalitèr subditi majoribus debent introducta est [a] Fidelitas, quâ vasalli ad ea omnia præstanda, quæ ad dominorum dignitatem, incolumitatem, aut commodum spectant devoto quasi affectu se astringunt. Deindè post fidelitatem domino debitam præcipuè requiritur observatio [b] Pacis, quâ subditi & vasalli tenentur sese erga alios innocuos gerere: atq; ad hæc tuenda, ea quæ sunt juris naturalis omnino conveniunt, & ea quæ sunt Iuris gentium propemodum inserviunt. Sed & multa præterea ab institutis civilibus Reipublicæ Romanæ aliena comperta sunt, quæ cujusq; regni moribus & legibus constituuntur: ita sub imperio Romano antiquissimæ fuerunt [c] Consuetudines Mediolanenses, sivè usus qui in libris feudorum referuntur. Deinde leges fuerunt quæ ab [d] Imperatoribus Lothario, Frederico & aliis cum consilio Episcoporum, Ducum, Marchionum, Comitum etiàm & Palatinorum, Iudicum, & aliorum Procerum edebantur, in quibus si aliquid defuit, ad jus civile recurrere fas erat. Nam etsi [e] Leges Romanæ non adeò vim suam extendunt ut usus vincant aut mores, Peritus tamen legum, sicubi casus emerserit qui Consuetudine feudi non sit comprehensus, absq; calumniâ Lege scriptâ uti potest. Iisdem regulis, Consuetudinis scilicet & Legis, Ius Normannorum continetur, in cujus descriptione [f] Consuetudo dicitur quòd antiquitùs à Principibus approbatum & à Populo observatum est. Leges sive jus scriptum sunt [g] statuta quæ [h] Duces cum consilio Prælatorum, Baronum, & Burgensium condiderunt. Atq; hæ consuetudines scilicet & Leges primùm ad Personas, res & officia temporalia in genere; deindè ad negotia temporalia in specie referuntur.

[a] Feud. l. 2. tit. 6. 7.

[b] l. 2. tit. 27.

[c] Feud. l. 1. 2.

[d] Feud. l. 2. tit. 52. & tit. 55.

[e] Feud. l. 2. tit. 1.

[f] Cust. c. 11.

[g] Præfat. Cust. Gallic.

[h] Comment. ad Prologum Cust.

SECT.

SECT. 2.

De Personis temporalibus, & de Domino supremo.

Personæ temporales sunt qui in communione temporali versantur. E quibus alius Dominus supremus est, alii Domini intermedii sunt, alii Plebem temporalem constituunt. Dominus supremus Rex est, qui intra Regnum in rebus temporalibus summam potestatem habet.

SEcundùm consuetudinem feudorum, expulsis Regibus Longobardorum, [a] Imperator supremus Dominus erat, utpote qui [b] supremam Iurisdictionem vel potestatem habuit, nimirum ferendi Leges, statuendi de moneta, nec non cognoscendi de causis Capitalibus quòd Ius gladii dicitur, & similia. Fidelitas verò quæ isti debetur à Feudistis [c] Ligeantia dicitur, & quotquot intra imperium degunt Ligii appellantur, qui non solum propter res sed etiam propter personas & eorum protectionem domino supremo obligantur.

De Consuetudine Normanniæ, Dux sive Rex, postquam Ducatus Regiæ coronæ unitus erat, Dominus supremus existit, [d] qui totius Ducatûs tam Principatum quam dignitatem obtinet, [e] qui solus habet plenam Iurisdictionem, [f] ad quem etiam omnis potestas monetæ pertinet item de mensuris & ponderibus statuere, & pro abundantia vel caritate pretium rebus imponere. [g] Vnde etiam omnes homines totius provinciæ ipsi Ligeantiam debent, ex quo ei tenentur contra omnes qui vivere possunt & mori in suis personis consilium & auxilium præbere. Et ei tenentur omnes Residentes Provinciæ Fidelitatem facere & servare, id est se ei innocuos in omnibus & fideles exhibere, nec aliquod incommodum ipsi procurare, nec

a Feud. l. 2. t. 55.
b Class. ad Consuet. Burg. § de Ius suis.
c Duar. ad Consuetud. c. 4. nu. 6.
d Cust. c. 12.
e ibid.
f Cust. c. 15. & 16.
g Cust. c. 13. & 14.

ejus manifestis inimicis contra ipsum consilium vel auxilium dare.

SECT. 3.

De Dominis intermediis.

Domini intermedii sunt qui sub Domino supremo supra alios in temporalibus potestatem habent, liq. vel Illustres ut Pralati & Proceres regni, qui ampliorem, vel Nobiles ut Domini alii, qui Iurisdictionem angustiorem habent.

[a] Feud. l. 1. tit. 1.

SVb Imperatore in Imperio Romano alii [a] Domini erant superioris ordinis ut Archiepiscopi & Episcopi, nec non Duces, Marchiones, & Comites qui Regis Capitanei vel majores valvasores insigniti sunt, qui cum dignitate Iurisdictionem majorem obtinebant, aliquando supremam, ut plurimum mediam prout à feudistis appellatur, [b] ad quam spectat de causis civilibus & criminalibus, quæ Capitales non sunt, cognoscere. Alii erant ordinis inferioris ut Regis valvasores vel minores valvasores qui [c] Iurisdictionem infimam habuerunt, ex qua de causis pecuniariis minoribus cognoscere, delinquentes capere, & levioribus suppliciis coërcere potuerunt.

[b] Class. ubi supra.

[c] ibid.

Sub Duce Normanniæ itidem [d] alii Domini Iurisdictionem supremam à Principe concessam habent, ex qua cognoscere possunt de omnibus causis tam civilibus quam criminalibus quæ in eorum territoriis contingunt, & de iisdem justitiam facere, præterquam de causis quæ Ducis dignitatem concernunt. [e] Alii mediam & infimam Iurisdictionem obtinent qui causas circa hæreditamenta contingentes inter ipsos & vasallos suos, & controversias circa res mobiles inter alios qui intra eorum territoria degunt judicandi potestatem habent. [f] Iidem in suis villis mensuras potus & bladorum possunt capere, & si falsas invenerint

[d] *Le stile de proceder en pays de Normandie de Haultsiustice.*

[e] ibid.

[f] Cust. c. 16.

invenerint emendare, antequam Iusticiarius Principis iis manum apposuerit.

SECT. 4.

De Plebe temporali.

Plebs temporalis sunt homines qui sub Dominis aliis sine autoritate degunt, è quibus alii speciali ratione ad Dominos referuntur quòd sub iis feuda tenent, alii generali tantùm respectu, quòd intra eorum territoria constituti eorum Jurisdictioni subjiciuntur.

IN Libris Feudorum vasalli infimi ordinis qui nec dignitatem nec Iurisdictionem aliquam feudum tamen obtinebant, [a] valvasores minimi & [b] valvasini appellabantur, qui verò feuda non habuerunt sed in villis Dominorum degebant quoad Iurisdictionem subditi simplicitèr habebantur.

De Consuetudine Normanniæ terras habentes, [c] homines & tenentes, reliqui, incolæ sive [d] Residentes & vicini nuncupati sunt.

a Feud. l. 1. tit. 7. & 15.
b Feud. l. 2. tit. 10.
c Cust. c. 12. & 83.
d Cust. c. 14.

SECT. 5.

De Rebus temporalibus, & de Dominico temporali.

Res temporales sunt quæ temporalibus usibus deserviunt, Eæq; aut immobiles ut Prædia & commoda prædiis annexa, aut mobiles ut pecuniæ, & bona. E quibus præcipuè spectantur quæ dominicum temporale, feudum nobile vel feudum ignobile constituunt. Dominicum temporale sunt possessiones & jura quæ ad Dominum supremum pertinent.

CVm de Iure civili res immobiles perindè ac res mobiles in pleno dominio essent, ut dominus de iis pro arbitrio disponere possit, usibus feudorum introductum est, ut alia in pleno dominio, alia sub titulo utilis dominii haberentur, prioris generis erat [a] Allodium id est possessiones & jura quæ ita tenebantur ut pro iis neq; gratia neq; merces neq; opera ulla deberetur. Posterioris erat [b] feudum quod ex benevolentia ita dabatur alicui ut proprietas rei penès dantem remaneret, usus fructus ad accipientem ejusq; hæredes pertineret, ad hoc, ut ille & ejus hæredes domino fidelitèr servirent. Præter hæc ad Communionem temporalem pertinent res etiam mobiles ut pecunia, animalia & similia, quæ Iuris temporalis dispositioni permittuntur. De Consuetudine Normanniæ etiam Possessiones in immobiles & mobiles distinguuntur, & Immobilis est [c] feodum sive hæreditas quæ ab aliquo possessa de loco in locum transmoveri non potest. Mobilis est quæ de loco in locum potest transmoveri, & vulgariter Catallum nuncupatur.

Ad Dominicum temporale quod attinet in libris Feudorum inter alia comprehendit Palatia in civitatibus consueta, vias publicas, flumina navigabilia, vectigalia, piscationum & venationum reditus, bona condemnatorum & proscriptorum, mulctarum pœnarumq; compendia, & similia, quorum pleraq; Iurisdictionem comitantur.

De Consuetudine Normanniæ præter possessiones Ducis proprias ad ejus dominicum spectant Thesaurus quocunq; loco inventus, Res vaivæ sive derelictæ, quas, cum inveniuntur, nemo vendicat, verisçum sive wreccum quod mare ad terram projicit, Pro qualitate delicti terræ seu feoda damnatorum, & foris-facturæ bonorum mobilium.

a Hotoman. in v. Allodiũ.

b Feud. l. 2. tit. 23.

c Cust. c. 87. & 92.

Feud. l. 2. tit. 56.

Cust. c. 18. Cust. c. 19. Cust. c. 17. & 21.

SECT.

SECT. 6.

De Feudo Nobili.

Feudum nobile eſt feudum ſuperius cui alia feuda ſubjiciuntur, Eſtq́; vel amplius, cui iura ſive commoda majora competunt; vel anguſtius, quod jura minora obtinet.

SEcundum uſus feudorum feuda alio nobiliora fuere & ampliora, quibus jura quædam regalia, & majora conceſſa ſunt; unde ex iis aliqua [a] Regales dignitates & regalia feuda inſigniebantur; & inter hæc habebantur [b] Prædia Archiepiſcopis & Epiſcopis in feudum data, Ducatus, Marchionatus & Comitatus; alia fuerunt etiam nobilia ſed minus ampla, quibus privilegia aliqua annexa ſunt, ut [c] valvaſoriæ majores.

Ita etiam ſecundum conſuetudinem Normanniæ quædam feuda nobiliora ſunt, ut quæ [d] Epiſcopis & Eccleſiis conceſſa ſunt, item [e] Comitatus & Baroniæ; quædam nobilia ut feuda militaria: [f] quæ omnia, prout Principi placuit, jus acquirendi Theſaurum repertum, Res vaivas, veriſcum, foriſacturas, & Emendas ſive mulctas delinquentibus impoſitas habere conſueverunt.

a Feud. l. 1. tit. 14. & l. 2. tit. 34.
b l. 2. tit. 40. & 10.
c ibid.
d Cuſt. c. 32.
e c. 34.
f c. 19. 20. & 16.

SECT. 7.

De Feudo Plebeio.

Feudum plebeium eſt quod ad perſonas plebeias pertinet, quod nec alia ſub ſe habet, nec privilegiis ullis gaudet.

INter feudorum Interpretes feudum ignobile ſive ruſticum habetur quod feudo nobili ſubjicitur, nec ſub ſe feudum admittit, nec prærogativam aliquam annexam habet,

bet, Et de jure antiquo [a] ad Libitum domini tenebatur; ita ut domino, quando voluit, auferre licuerit, nisi vasallus cum illo in exercitu perrexisset, vel aliquod propter feudum dedisset; tunc enim, nisi restituto pretio, auferre non licebat. Et in consuetudinario Normanniæ tale censetur [b] feodum infimum quod in burgis vel civitatibus, vel ruri aut in villis rusticis tenetur. Et quæ sunt generis posterioris; [c] alia clausa, alia communia habentur, clausa sunt quibus seorsim, communia quibus promiscuè cum aliis tenentes utuntur. Nam [d] quædam terræ quodam tempore sunt defensivæ, quodam communes; Defensivæ sive clausæ sunt terræ cultæ, quarum fructus per bestiarum accessus facilè perderentur, sed & terræ vacuæ à medio Martii usq; ad festum sanctæ Crucis in Septembri defenduntur; alio tempore sunt communes, ita ut animalia sine pastore per eas errare possint, exceptis capris, porcis, & animalibus noxiis quæ omni tempore custodiri debent.

[a] Feud. l. 1. tit. 1. in fine, & tit. 7.

[b] Cust. c. 28. & 53.

[c] Cust. c. 8.

[d] Ibid.

SECT. 8.

De Officiis temporalibus, & de Officio Domini supremi.

Officia temporalia sunt munera personalia & realia quæ ob commoda temporalia præstanda sunt à Domino supremo, à Dominis intermediis & à Plebe temporali. Officium Domini supremi est inter subditos ea quæ ad Pacem & Iustitiam spectant præstare.

IN communione temporali commoda propter officia constituta sunt. Et primò in Iure feudorum ad officium Imperatoris spectare declaratur, Dignitatem imperii tueri, leges in suo vigore retinere, quibuscunq; personis jus suum conservare, & pacem per universas regni partes stabilire.

Feud. l. 2. t. 27. & tit. 52.

Ita

Ita ad [b] Ducem Normanniæ pertinet Patriæ pacem tueri, æquitatis lineâ contentiones singulas terminare, & virgâ Iustitiæ populum coërcere.

[b] Cust. c. 12.

SECT. 9.

De *Officiis Dominorum inferiorum.*

Officia Dominorum inferiorum sunt servitia & auxilia, quæ à Dominis inferioribus Domino supremo pro feudis exhibenda sunt, eaq; vel Nobiliora, quæ à Prælatis & Proceribus regni debentur, vel nobilia quæ ab aliis qui etiam feuda nobilia obtinent.

IN libris feudorum etsi non appareat certa servitia & auxilia pro feudis fuisse constituta, [a] pro Nobilium tamen officio habebatur Principem Guerram, id est, bellum alicui facientem adjuvare, & ad felicem regalis numinis expeditionem collationem extraordinariam facere.

[a] Feud. l. 2. tit. 28. & tit. 56.

De Consuetudine verò Normanniæ tam pro nobilioribus quam pro Nobilibus feudis certa servitia instituta sunt, [b] Episcopi autem & aliæ Ecclesiasticæ personæ, quæ terras in puram & perpetuam Eleemosynam concessas habent, ad aliud non tenentur nisi pro Principe orare, & precibus pro ejus salute apud Deum intercedere. At, qui [c] Comitatus obtinebant ad Liberam Sergenteriam tenentur, id est obsequium aliquod vel officium honorificum circa personã Principis obire, veluti Ensem in die Coronationis præferre, Cubicularii aut alterius officiarii munus sustinere. Deinde [d] Milites qui feuda Loricæ, id est militis Cataphracti, sive Equitis armati obtinent, tenentur ad subsidium terræ, vel cum Princeps ad aliquam Expeditionem proficiscitur per triginta dies cum equis & armis adesse, & eundem comitari. Qui utriusq; generis feoda habent, [e] Auxilia etiam Capitalia præstare debent: Quæ sic dicuntur quia Dominis capitalibus sunt reddẽda. Quæ tria sunt, primum ad primogenitum filium Domini

[b] Cust. c. 32.

[c] Cust. c. 13.

[d] Cust. c. 24.

[e] Cust. c. 35.

sui in ordinem militis promovendum; secundum ad Primogenitam Domini filiam maritandam; Tertium ad corpus Domini sui de Prisona redimendum. Primogenitus autem est ille qui Primogenituræ obtinet dignitatem; & idem intelligendum de auxilio maritali; & Redemptionis Auxilium tunc debetur, cùm Domini corpus ex prisona hostium Dacis Normanniæ liberatur.

SECT. 10.

De *Officiis Plebis temporalis.*

Officia Plebis temporalis sunt servitia & onera quæ infimis subvasallis pro feudis incumbunt.

[a] Feud. l. 2. tit. 40.

DE Iure feudali etiam [a] Inferiores vasalli cum Dominis in exercitu pergere, vel hostenditias, id est, in hostem pergentibus certa adjutoria præstare consueverunt.

[b] Custrc. 28. & c. 58.

Et de Consuetudine Normanniæ qui feoda ignobilia tenent, ad aliquod servitium non nobile obligati sunt. Ita [b] qui Domos in civitatibus habent per Burgagium id est per servitium, aliquid secundum consuetudinem civitatis præstandi; qui prædia rure obtinent, alii per Sommagium, id est certam pecuniæ summam sive reditum, alii per Bordagium aut Villenagium, id est per opera servilia, utpote faciendi fœni, stercorandi terram, & ejusmodi, suis feudis potiuntur.

PARS

PARS SECVNDA.

SECT. 1.

De *Negotiis temporalibus, & de Creatione feudi.*

NEgotia temporalia ſunt quæ circa res temporales oboriuntur, cujuſmodi ſunt Creatio vel Conſtitutio feudi, Acquiſitio, Contractus, & Delictum temporale. Creatio vel Conſtitutio feudi eſt cum aliquòd in feudum concedstur Infeudatione ſcil. vel Subfeudatione.

AD jus temporale ſpectant etiam negotia quædam ſpecialia, utpote primùm conſtitutio vel creatio feudi, quæ fit infeudatione & ſubfeudatione. Infeudatio eſt, cum aliquid in feudum primariò conceditur, quod ſecundum conſuetudines feudales præcipuè [a] ab Imperatore vel Rege fiebat; & [b] Feuda nobiliora ſive regalia ab eo ſolo concedi potuerunt. Secundò etiam à Dominis intermediis feudum concedebatur; [c] Archiepiſcopi enim & Epiſcopi de iis, quæ antiquitùs in feudum dari conſueverunt, feudum inſtituere potuerunt; Item [d] Duces, Marchiones, Comites, & minores valvaſores. [e] In feudum autem dari potuerunt Res immobiles, ut res ſoli, res ſolo cohærentes, & quæ inter immobilia numerantur. Et modus, quo quis in feuda primùm inſtituitur, [f] Inveſtitura dicitur

a Feud.l.1.tit. 14.& l.2.tit. 10.
b Gotofr. ad tit.14.
c Feud.l.1. tit.1.
d l.1.tit.1.
e Feud.l.2. tit.1.
f Feud.l.2. tit.1.

citur; quæ fiebat cùm hasta, vel aliquid corporeum à Domino feudi se Investituram feudi facere profitente feudatario porrigeretur; [g] sine qua, etiamsi feudum regulariter constitui non potuit, si quis tamen rem aliquam ut feudum per triginta annos possedisset, Præscriptione se tueri potuit. Et tempore Investituræ vasallus juramentum fidelitatis præstare debuit sub hujusmodi forma; [h] Ego Titius juro super sancta Dei Evangelia quod ab hac hora usq; ad diem ultimum vitæ meæ ero fidelis tibi contra omnem hominem: & si Dominus esset intermedius, cum hac clausula contra omnem hominem, excepto Imperatore. Subfeudatio vero erat, cum de feudo proprio feuda inferiora constituerentur.

[g] Feud l. 1. tit. 25. & lib. 2. tit. 26.

[h] Feud. l. 2. t. 7.

De Consuetudine Normanniæ, quod ad Institutionem feodorum spectat, [i] Quæ à Duce vel Principe instituuntur, Capitalia dicuntur, quòd in capite tenentur. Feoda verò infima quæ ab aliis eriguntur feoda [k] Supposita nuncupantur. Et qui ad feodum nobile admittitur [l] Homagium præstat, id est juramentum hujusmodi suscipit. Ego vester homo devenio ad præstandam vobis fidem contra omnes; quod fit expansis manibus illius qui homagium facit inter manus illius qui homagium recipit. Nemo verò fidelitatem alicujus recipere debet nisi salvâ Principis fidelitate.

[i] Cust. c. 34.

[k] Ibid.

[l] Cust. c. 25. & 29.

SECT. 2^a.

De *Acquisitione Temporali, & de Acquisitione Feudi.*

Acquisitio temporalis est qua res secundum jus temporale acquiruntur; Estq; vel feudi, vel juris alicujus in feudo, vel rei alicujus mobilis. Acquisitio feudi est cum feudum ipsum acquiritur, quod fit vel ex donatione, cum quis jus suum in feudo ad alium transfert, vel ex succes-

sione.

sione quando feudum vacans ad hæredem vel successorem devolvitur.

AB institutione vel creatione feudi jus alicui primariò acquiritur, sed & aliis modis ad alios transit, & primò secundum consuetudines feudales cum quis alteri jus suum in feudo concederit. Nam [a] si feudum integrum transferre vellet, cum licentia domini permittebatur; ita tamen si secunda persona esset talis qui feudo servire posset; ut si miles militi donaret, & si sub iisdem conditionibus donaretur; unde qui habuit sibi & hæredibus masculis, alteri dare non potuit, ut fœminæ in eo succederent. Deinde, [b] cùm quis feudum refutavit vel [c] inhabilis propter ingressionem religionis factus fuit, vel deniq; mortem obiit, hæres in feudo succedebat.

Quoad successionem verò [d] Alia feuda individua erant, alia dividua. Individua erant, in quibus Primogenituræ ratio habebatur, cujus conditionis erant ducatus, Marchionatus & Comitatus, & alia secundum cujusq; Provinciæ morem. [e] Reliqua erant Dividua, in quibus filii æqualiter succedebant; nec [f] pater quod filii in iis inæqualitèr succederent, per Testamentum ordinare potuit. In successione verò ordo imprimis observabatur. Et [g] mortuo eo qui beneficium vel feudum tenebat, prima causa erat liberorum masculorum: filiis enim existentibus masculis, vel ex filio nepotibus, vel deinceps per masculinum sexum descendentibus, reliqui agnati removebantur. Ad filias verò vel neptes successio non pertinebat, nisi sub ejusmodi conditione concessum esset. [h] Liberis masculis deficientibus, vocabantur primò fratres, deinde agnati ulteriores, si Feudum paternum esset, hoc est, si fuit illius qui ejus agnationis communis parens erat. Nam [i] si unus ex fratribus feudum à Domino acceperat, alter ei non succedebat, nisi hoc nominatim dictum esset; sed & [k] in feudis Fœmininis, tunc demum succedebat filia cum filii non extarent, nec [l] Ascendentes, ut patres, filiis succedebant. Præterea,

a Feud. l. 2. tit. 34.

b Feud. l. 2. tit. 41. ubi Gotofred.

c L. 2. tit. 26. § Clericus.

d Feud. l. 1. tit. 8.

e Ibid.

f L. 1. tit. 8.

g L. 2. tit. 11.

h Ibid.

i Feud. l. 1. tit. 1.

k L. 1. tit. 8.

l L. 2. tit. 50.

ut succederent in feudo liberos & agnatos [m] legitimos esse oportebat. Nam naturales filii, etiamsi posteà legitimi fierent, ad successionem feudi nec soli, nec cum aliis admittebantur. Deniq; [n] si quis decessit, nullo hærede in feudo relicto, jus feudi ad Dominum revertebatur, quemadmodum etiam si crimen aliquod gravius contra Dominum commisisse condemnatus fuerit.

De consuetudine Normanniæ iisdem modis acquiritur feudum, cum feudatarius feudum alii tradat vel donet, & cum religionem intrat vel decedat, in quibus casibus successioni locus est. [o] Quædam successio est ex gratia, quædam hæreditaria esse dicitur. Ex gratiâ, quando Episcopus vel Abbas in feudo quod Prædecessor ejus tenuit, in ejus locum per gratiam suffectus est. [p] Hæreditaria est successio quando aliquis succedit in feudo ratione sanguinis; estq; directa, vel indirecta: Directa quando hæreditas in linea directa Consanguinitatis ad filium, profilium, vel aliquem alium ejusdem lineæ descendit. Indirecta est quando aliquis extra rectam lineam succedit, ut frater fratri, nepos avunculo. Sed [q] hæreditas alia est impartibilis, alia partibilis: Impartibilis, in qua consuetudo Patriæ nullam divisionem inter fratres admittit, ut Comitatus, Baroniæ, & feuda militaria; quæ Feuda Loricæ dicuntur; in quibus Primogenitus succedit; vel, si is prior decesserit, ejus filius vel hæres propinquior in eadem linea: si verò nullus de linea Primogeniti remanserit filius, secundo-genitus vel ejus lineæ propinquior hæres; & sic deinceps in aliis lineis. [r] Hæreditas partibilis est, quæ ad plures æqualitèr descendit, ut feuda nobilia, quando hæreditas ad mulieres ex defectu hæredis masculi devolvitur; & communitèr feuda ignobilia: In cujusmodi successione, [s] cum plures sunt fratres, ultimò natus de feodo tot faciet portiones quot sunt participes: Capitale autem Herbergagium, id est, domus cum ædificiis conjunctis & Clauso & Gardino, primogenito remanebit, dummodo fratribus justam faciat compensationem; cætera æqualiter dividen-

m l. 2. tit. 26. & Naturalis.
n l. 2. tit. 86.
o Cust. c. 25.
p Ibid.
q Cust. c. 26.
r c. eod.
s c. eod.

dividentur. Sed nec [t] cum quis plures habet filios, de hæreditate sua plus uni quam alteri testamento relinquere potest; & si quid donaverit, post ejus decessum, ad portiones faciendas revocari debet. [u] Quod si hæredes defecerint feodum ad Dominum de quo tenetur, revertitur: & hæredes deficere intelliguntur quando Feodatarius nullum habet, vel non Legitimum. Nam Bastardus nullius hæreditatis hæres esse potest. Et nemo Bastardo hæreditariè succedit, nisi ex ipso & uxore Legitima natus fuerit. [x] At licet Matrimonium divortium recepit, procreati tamen in Matrimonio dum Ecclesia sustinebat, pro Legitimis reputantur. Sed [y] & filii procreati ex sanguine damnato ad nullum hæreditatem antecessorum jure hæreditario pervenire possunt.

t c. 29.

u c. 25.

x c. 27.

y c. 24. & c. 25.

Vtroq; jure qui ad feuda sive ex alienatione, sive ex successione admittuntur aliquid quasi Domini agnoscendi causâ pendunt; quod à Feudistis Laudimia, in consuetudinario Normanniæ [z] Relevium appellatur. Et prout primò Investiti, Iuramenta Fidelitatis præstare debent.

z c. 34.

SECT. 3.

De *Acquisitione Iuris in feudo.*

Acquisitio juris in feudo est cùm ad tempus ususfructus feudi, vel ius commodi alicuius ex feudo percipiendi ad alium pertinet, vel ex facto hominis, vel ex dispositione iuris.

COntingit aliquando quod is, qui rem immobilem sibi & hæredibus suis non acquisivit, pro vita tamen aut alio tempore, (idq; præter modum contractûs) ejus usum fructum liberum vel jus aliud commoda ex eo percipiendi consequatur. Ita secundum consuetudines feudales, etiamsi feudum sine investitura constitui non potuit, [a] si tamen Domino jubente quis alicujus rei, nomine feudi, pos-

a Feud. l. 1. t. 25.

sessionem accepit, licuit ei dum vixit possessionem taliter adeptam quasi Feudi nomine retinere. Ita enim pro tempore usumfructum maritus consequitur, [b] cui pater vel ipsa uxor cum consensu Domini feudum vel feudi partem in dotem dedit.

[b] L. 2. tit. 13. & 17.

Ad alia jura quod spectat, servitutes scilicet tam urbanorum quam Rusticorum Prædiorum, cùm nihil alienum reperiatur in Libris Feudorum, conjicere licet Ius Civile Romanorum apud Mediolanenses in iis omnino obtinuisse.

De Consuetudine verò Normanniæ, speciales etiam casus occurrunt, in quibus à Domino feudi ad alium usus-fructus feudi transfertur; Primò scilicet quando hæres est in custodia vel sub tutela Domini. Nam [c] Princeps Normanniæ habere debet Custodiam omnium in ætate minori constitutorum, qui feuda nobilia ab ipso tenent: In minori autem ætate constituti dicuntur, qui nondum viginti annos omnino compleverunt: unde præter Minoris feuda propria, Duci cedent omnia alia feuda & successiones, quæ Minori, dum in custodia fuerit, devenient: Pupillis verò victus competens & necessaria suppeditanda sunt, prout ætas & Feodum postulabit. Quod si fœmina in Custodia fuerit, cum ad annos nubiles pervenerit, cum consilio & licentia Domini, & cum consilio & consensu amicorum, prout generis nobilitas & feodi valor requisierit, maritari, & feodum è Custodia resumere debet. Sed [d] alii etiam Domini præter Ducem qui Tenentes nobiles habent, eorum hæredibus in minori ætate constitutis, etiam Ius Custodiæ obtinent. Ædificia verò, maneria, boscos, prata & gardina, stagna, molendina, pascua, piscarias, & similia, quorum fructus percipiunt, in statu debito tueri debent. Secundò de Consuetudine Normanniæ [e] Maritus non solum Feodi uxoris usumfructum, dum ipsa vivit, percipit, sed etiam si ex ea hæredem procreavit, quem vivum natum esse constat, etiamsi uxor moriatur, omnis terra, quam jure uxoris tempore mortis possidebat, ad ipsum

[c] Cust. c. 33.

[d] C. eod.

[e] C. 101.

ipsum pertinebit, quamdiu ab aliis nuptiis abstinuerit.

Tertiò per Consuetudinem Normanniæ Relicta pro [f] Dotalitio vel [g] Doario habere debet tertiam partem totius feodi, quod maritus suus matrimonii contracti tempore dignoscitur possidere: Majus autem dotalitium habere non potest quam tertiam partem feudi, minorem potest, secundum conditiones in contractu Matrimonii initas. Nam si consentiit dotari de Mobili, vel de speciali aliqua terra, illud post mariti obitum debet ei pro dote sufficere. Nulla etiam mulier obtinet Dotalitium de feodo Mariti sui, si maritus contracto Matrimonio decessit, priusquam in idem cubiculum reciperetur. Tunc enim mulier ad dotalitium jus habet, cum sponsa mariti sui cubiculum subintravit. Sed nec Dotalitium obtinet, si inter ipsos divortium contigit: Illa enim sola dotanda est de mariti sui Feodo, quæ tempore mortis eidem conjuncta fuit.

[f] C. 102.
[g] Hot. v. Dotalitium.

SECT. 4.

De *Acquisitione Rerum mobilium.*

Acquisitio rerum mobilium est qua quis earum dominium consequitur, utpote ex occupatione, donatione, usucapione, ex testamento, vel successione ab intestato, aut quovis alio titulo Iuris gentium aut civilis, quatenus jure feudali comprobatur.

MOdi acquirendi res mobiles secundum consuetudines Feudales iidem etiam videntur qui sunt de Iure Civili, nisi quod in aliquibus fortassis Ius Regaliorum discrimen faciat. Ita enim cum de Iure Civili feræ, bestiæ, volucres, & pisces fiant capientium; de Iure Feudali, Ius venandi, aucupandi, & piscandi (etiamsi inter Regalia, ut & multa alia, non numerentur) [a] ex multorum Interpretum sententia ad Regalia pertinent, & quæ iis modis acqui-

[a] Arnisæus de Iure Majest. l. 3. c. 4. nu. 11.

acquiruntur, de jure, non capientium, sed Principis, aut ejus cui Princeps hoc jus concessit, fiunt.

Sed & de Consuetudine Normanniæ, circa acquisitionem Mobilium, multa specialia sunt à jure Civili aliena. Eo enim Iure, non solum (præter Iuris Civilis Regulas) [b] Thesaurus inventus, Res derelictæ, & ex naufragiis ad terram appulsæ Principi vel Domino Feudi, non inventori, acquiruntur. Sed & in hujusmodi acquisitione etiam observandum, quod Dominus Feudi in cujus terram wreccum appulit, illud in littore vel juxta littus salvum custodiri faciat, donec per justitiarium inspectum fuerit, deinde in custodiam recipere debet, & usq; in annum & diem, si res servando servari possit, custodire; si verò res sit peritura, retentis de ea signis intrinsecis & extrinsecis, autoritate Iustitiarii venditioni exponere, & si quis infra tempus prædictum qui evasit ex naufragio, dictum veriscum vel partem ejus per testimonium fide dignorum & per signa probaverit, illi restituere debet; aliter anno & die elapso Domino feudi remanebit. Sed quædam sunt quæ (utcunq; Domini feodorum ex concessione vel præscriptione rerum aliarum acquirendi jus habent) ad prærogativam Principis pertinent, ubicunq; inventa fuerint, [c] veluti auram & argentum tam in vasibus quam in moneta, si viginti librarum quantitatem excedat; item, equi bello apti, id est fræni patientes, Canes celeres, Accipitres, Coralium, Lapides pretiosi, escarlatum, varium & grisium, & pelles sebellinæ, quæ ad aliquem usum hominum non sunt deputatæ, & omnes torcelli sive fasciculi pannorum integrorum ligati, & omnes pisces crassi, ut balænæ & sturgeones quæ ad terram pervenerint vel captæ fuerint. Item, hoc Iure [d] Donare & retinere nihil operatur, Donare verò & retinere est quando is qui donat potestatem retinet de rebus donatis liberè disponendi, vel in possessione earundem remanet. Deniq; circa Testamenta & successiones in bonis mobilibus defunctorum, quædam sunt in hoc Iure quæ à Iure Civili discrepant.

b Cust. c. 18. 14.

c Cust. c. 19.

d Cust. reformat. art. 444. 445.

pant. Quippe [e] omne Teſtamentum confici debet coram Curato ſive Parocho, Notario ſive Tabellione, & in præſentia duorum teſtium idoneorum qui vigeſimum annum compleverunt, nec ſint Legatarii, coram quibus à Teſtatore voluntas declarari debet, deinde teſtamentum legi, & ab ipſo ſignari, ſi ſignare valeat, ſin minus, ab iis qui præſentes ſunt. Item [f] Teſtamentum ſcriptum & ſignatum manu propria Teſtatoris, validum eſt, etiamſi ſolennitates prædictæ obſervatæ non ſint. [g] Vir cælebs, vel qui liberos non habet, poſtquam vigeſimum annum complevit, poteſt diſponere de bonis mobilibus, cuicunq; voluerit: Qui ſextum annum complevit filius ſive filia, poteſt diſponere de tertia parte mobilium quæ ad ſe ſpectant. [h] Baſtardi poſſunt diſponere de bonis mobilibus, non minus quam Legitimi. Fœmina conjugata non poteſt de re aliqua disponere, [k] niſi conſentiat Maritus, aut in tractatu Matrimonii ita conventum fuerit. [l] Teſtator, qui liberos vivos habet aut ab iis deſcendentes, non poteſt diſponere de bonis mobilibus pluſquam de tertia parte, in qua etiam expenſæ Funeris contineri debent. [m] Nihilominus is qui habet filias jam in Matrimonio viris conjunctas, poſtquam liberatus eſt earum dotibus, poteſt de medietate diſponere, & alia medietas ad uxorem pertinebit; [n] Si uxor prædefuncta ſit, de omnibus diſponendi poteſtatem habet. [o] Mulier vidua liberos habens non poteſt diſponere in Teſtamento pluſquam de tertia parte mobilium. Pater aut Mater in Teſtamento non poteſt diſponere de bonis mobilibus plus uni liberorum quam alteri; [p] Qui verò liberos non habent, poſſunt dare cui voluerint, quantum ipſis viſum fuerit.

Poſt mortem Mariti [q] Vidua intra quadraginta dies poteſt renunciare ſucceſſioni in bonis Mariti, præſtito prius Iuramento, quod nihil percepit nec celavit de Bonis Mobilibus. Quo in caſu dotarium tantum obtinebit, & bona Paraphernalia à debitis libera. Et [r] Bona Paraphernalia intelligi debent de bonis mobilibus quæ mulieris uſui inſerviunt:

[e] Cuſt. refor. art. 412.
[f] Art. 413.
[g] Art. 414. & 415.
[h] Art. 416.
[k] Art. 417.
[l] Art. 418.
[m] Art. 419.
[n] Art. 420.
[o] Art. 423.
[p] Art. 424.
[q] Art. 394.
[r] Art. 395.

serviunt, cujus generis sunt lecti, vestes, lintea, & alia consimilis Naturæ, de quibus Iudex viduæ competentem distributionem faciet in specie, juxta qualitatem ipsius viduæ & Mariti, convocatis Hæredibus & Creditoribus: proviso quod dicta bona non excedant medietatem tertiæ partis mobilium, & nihilominus ubi mobilia erunt minima, illa habebit, lectum, robam, & cistam suam. Quod [f] si quis sine Testamento decedet, generalitèr pertinet ad Episcopum Diocesanum de ejus Catallis [g] disponere & eadem distribuere. Vsurariorum verò defunctorum Catalla de antiqua consuetudine Duci deveniunt. At [u] usurarius non habetur nisi qui infra annum & diem ante decessum usurariam pravitatem exercuit. [x] Item Catalla eorum qui seipsos occidunt, Princeps habere debet; nisi quis aliquo infortunio periit, vel amens, sive vesanus, seu peste phrenetica correptus, interemptus sit.

f Cust. c. 20. & 21.
g Com. ad c. 21.
u C. 20.
x C. 21.

SECT. 5.

De *Contractu temporali*, & *de Contractu circa feudum.*

Contractus temporalis est conventio Iuri temporali consentanea, est q. vel de feudo, vel de jure in feudo, vel de rebus mobilibus. Contractus de feudo est qui ipsum feudum respicit, utpote contractus venditionis vel alienationis feudi, & cum de Evictione præstanda contrahitur.

POst Acquisitionem temporalem modi contrahendi Iuri temporali consentanei considerandi sunt. Et de Iure Feudali quamvis antiquitùs nec [a] feudum nec feudi partem alienare licuit, posteà cum [b] Domini & [c] agnatorum, si feudum Paternum erat, consensu distrahere permittebatur. Et si quis vendidit, emptori de [d] Evictione, id

a Feud. l. 2. tit. 52.
b Ibidem.
c L. 2. tit. 39.
d L. 2. tit. 8. & 80.

id est de præstando rem ipsam, vel casu quo evinceretur, rei valorem & interesse tenebatur.

De consuetudine etiam Normanniæ [e] feudum nobile vendere non licet sine speciali assensu Domini, nisi de feudo tertia pars vel tantum remaneret ut jura & servitia Dominis solvi & præstari possent. Et cum [f] venditur feudum plerunq; etiam sic contrahitur, quod is qui vendidit defensionem proprietatis vel evictionem præstare in se suscipiat, quod vulgo garantizare dicitur.

e Cust. c. 29.

f Cust. c. 50.

SECT. 6.

De *Contractu de Iure in feudo.*

Contractus de Iure aliquo in Feudo est qui de usufructu vel alio Jure in feudo initur, utpote cum locatur vel oppignoratur feudum.

IN libris Feudorum quæ de contractibus de jure in feudo habentur, à Iure Civili parum differunt. Et eo Iure vasallus Feudum locare potuit, nisi Locatio esset fraudulenta alienatio, veluti [a] libellarius contractus quo pro vili aliqua pensione utpote duorum denariorum Feudum perpetuò utendum concedebatur. Sed & Feudum in pignus dari potuit; quod [b] si quis rem aliquam sine consensu Domini pignori obligaret eo pacto ut si statuto tempore pecunia soluta non esset, res esset Creditoris, quandocunq; pecuniam solvendo, pacto non obstante, pignus recuperare potuit. Eodem modo de Consuetudine Normanniæ [c] Feodum vel pars Feodi locari potuit ad certum tempus, quod vulgò Firma dicitur. Sed & eodem Iure dupliciter oppignorari consuevit, ita ut [d] vadium sive pignus vel vivum vel mortuum constitueretur. Vadium vivum est quod ex suis proventibus liberatur, ut cum terra traditur in Vadium pro centum solidis usq; ad tres annos, ita ut elapso anno tertio reddatur obligatori omnino libera, in quantum

a Feud. l. 2. tit. 9.

b L. 1. tit. 27. & l. 2. tit. 51.

c Cust. c. 112. & 114.

d C. 111.

pecuniæ creditæ à proventibus ejusdem perceptæ sint. Mortuum autem dicitur vadium quod se de nihilo redimit, veluti cum terra oppignoratur alicui pro centum solidis, ea conditione quod quando is qui oppignoravit recipere velit, centum solidos restituat. Et hujusmodi vadium recipere, species usuræ illicitæ habetur.

SECT. 7.

De *Contractu de Re mobili.*

Contractus de re mobili est, qui de Re mobili, vel de Iure aliquo in re mobili instituitur; isq; sive rei traditione, sive solo consensu, sive scriptis aut verbis conciliatur.

DE Contractibus aliis præterquam de ipsis feudis, & juribus in feudis constitutis in Libris feudorum nihil occurrit. Vnde conjicere licet in iis omnino Ius Civile observatum fuisse.

Nec quæ in Consuetudinario Normannico reperiuntur, ab eo jure multum abhorrent. In qua Obligationis & Actionis legitimæ causa habetur, [a] si quis ab alio pecuniam mutuo vel equum commodato acceperit, item [b] si quis ex causa aliquid alteri promiserit. Nam ex promisso nemo debitor constituitur, nisi causa legitima promittendi præcesserit: item [c] si quis se pro alio plegium vel debitorem constituerit.

a Cust. c. 87. & 88.
b C. 88. &. 91.
c C. 60.

Nam eo Iure Plegii alii simplices, alii debitum retinentes dicuntur. Plegiatio simplex sic contrahitur: Ego Plegio A, id est, spondeo pro A, quod reddet D centum solidos ad Festum Nativitatis Domini; atq; hujusmodi Plegiatio idem est quod Fidejussio. Plegiatio autem dicitur debitum retinere, quando quis cum alio se constituit principalem debitorem. Atq; hæc de Contractibus juri etiam Feudali consentaneis.

SECT.

SECT. 8.

De Delicto temporali, & de Delicto contra Fidelitatem.

Delictum temporale est quod contra Ius temporale committitur, nimirum quod contra Fidelitatem, contra Pacem, vel contra officium temporale fit. Delictum contra Fidelitatem vel Ligeantiam est quo Dignitas Principis minuitur veluti Proditio, Rebellio, Seditio, & alia, ex quibus Princeps vel Imperium immediatè lædi potest.

SIcut contractus temporalis habetur qui Iuri temporali est conformis, ita Delictum temporale est quod jure temporali improbatur. Cujus generis sunt cum Crimina tum Delicta quæ etiam Iure Civili condemnantur, etiamsi fortassis sub diversis conditionibus considerentur. In his verò de Iure Feudorum crimen vel delictum gravissimum censetur quod contra Ligeantiam vel Coronam & Dignitatem Principis admittitur, veluti crimen Læsæ Majestatis, Rebellionis & Seditionis, [a] cum aliqui quomodocunq; publicè vel occultè contra honorem Principis & fidelitatem, Rebellionis opera faciunt, & contra imperii prosperitatem aliquid machinantur, vel contra Officiales Principis in his quæ ad officium iis commissum pertinent rebelles existunt.

[a] Feud. Extrav. H. 7. tit. 1. & 2.

In Consuetudinario Normannico hujus generis habetur Proditio [b] cum quis Ducis inimicis manifestis contra ipsum consilium vel auxilium præbet. Item si quis in Castrum Ducis hostes introduxerit, vel introducere conatus sit. E quibus de aliis ejusdem naturæ statuere liceat.

[b] Cust. c. 14. [c] C. 72.

SECT.

SECT. 9.

De Delicto contra Pacem.

Delictum contra Pacem est quo Pax violatur, quod vel vi & armis fit, utpote Homicidium, Raptus, Vulneratio, Mutilatio membrorum, Latrocinium, & similia; vel sine vi & armis veluti Transgressiones quibus damnum vel contumelia alicui infertur.

IN Libris Feudorum hujus generis pleraq; crimina [a] Feloniæ nomine comprehendũtur, & tanquam gravia & enormia censentur. Veluti [b] si quis hominem infra pacem constitutum occiderit, [c] si quis alium infra pacis Edictum vulneraverit; item [d] si quis alium absq; sanguinis effusione percusserit, [e] si crines ejus aut barbam expilaverit, [f] si quis alium temerè sine percussione invaserit, & calidâ manu verberibus & contumeliis malè tractaverit, [g] si quis publicè latrocinatus fuerit [h] si quid quinq; solidos valens furatus fuerit, & similia. Atq; hæc plerunq; vi & armis geruntur: Sed & sine vi & armis Transgressiones fiunt, cum damnum in rebus infertur, [i] ut si quis in agro alieno animalia pabulare permiserit, Licuit tamen per terram transeunti prope viam equum suum ad refectionem & reparationem pabulare, item uti herbâ & viridi sylvâ sine vastatione aliqua pro sua commoditate & usu.

Item de consuetudine Normanniæ flagitia graviora habentur [k] murdrum sive homicidium voluntarium cum quis aliquem in pace Ducis felonicè occidit, [l] defloratio virginis violenta, [m] mehaymium sive mutilatio membrorum vel vulneratio sanguinolenta, [n] assaltus violentus, [o] voluntaria domorum incendatio, [p] Roberia sive Latrocinium; Sed & eodem jure Transgressiones habentur cum personæ alicuius vel bonis iniuria infertur; personæ, ut [q] sim-

a Feud. l. 2. tit. 26. §. 23. & tit. 37. & 47.
b L. 2. tit. 27.
c Ibid.
d Ibid.
e Ibid.
f Ibid.
g Ib. 56.
h Ib. 58.
i L. 2. tit. 27. in fine.
k Cust. c. 58.
l C. 10.
m C. 73.
n C. 74.
o C. 10.
p C. 70.

[q] simplex percussio & injuria verbalis. Simplex percussio est, ex qua nec mortis, nec mutilationis impendet periculum. [r] Iniuria verbalis est quoties convitium aliquod personæ alicuius ab alio irrogatur. Et Convitia quædam Criminalia sunt, quædam Simplicia: Criminalia, quorum actum si perpetratum fuisset perpetranti corporis vel membrorum dispendium infligeretur; ut si quis alteri homicidium vel latrocinium imputaret. Simplicia sunt, cum quid objicitur, ex quo, si verum esset mortis vel mutilationis periculum nullum impenderet. Deniq; hoc etiam Iure alicui in rebus injuria inferri videtur, [f] si cui in gramine vel segete damnum sit illatum. Item si in boscis, stagnis, garennis, sive locis in quibus cuniculi includuntur, aliquod incommodum indebitè procuretur.

[q] C. 84.

[r] C. 86.

[f] C. 6.

SECT. 10.

De Delicto *contra Officium temporale.*

Delictum contra officium temporale est, cum vasallus contra Dominum Inferiorem aliquid nequiter admiserit, vel servitia debita præstare omiserit.

POst delicta communia quæ contra Fidelitatem seu Ligeantiam quæ Principi debetur, & contra pacem committuntur, Delicta specialia observanda sunt, quæ inferiores vasalli contra officium admittunt, quæ ipsos Ingratitudinis arguunt; ut [a] si quis hostiliter adversus Dominum se gesserit, [b] si sciens Domino insidias strui, eum certiorem non fecerit; [c] si Dominum in acie periclitantem deseruerit, [d] si uxorem vel filiam Domini corruperit, & hujusmodi: Huc etiam referuntur, [e] si indictâ publicâ expeditione vocatus à Domino, spatio justo ac competente venire contempserit; aut pro se alium idoneum

[a] Feud. l. 2. tit. 57.
[b] Feud. l. 2. tit. 24.
[c] L. 2. tit. 34.
[d] L. 1. tit. 5.
[e] L. 2. tit. 54. & 55.

non miserit; aut hostenditias non solverit; vel [f] si illud servitium propter quod feudum datum fuit facere recusaverit, & similia. Et hæc etiam de Delictis Iure Feudali improbatis.

[f] L. 2. tit. 24.

PARS

PARS TERTIA.

SECT. 1.

De *Iudicio temporali.*

IVdicium temporale est in quo causæ temporales decidunntur; in quo in genere respicitur Curia, Cognitio, & Coërcitio temporalis; deinde quæ ad specialia negotia referuntur.

VT Ius temporale quid cujusq; sit definit, ita Iudicium temporale suum cuiq; tribuit: Et ad hoc requiruntur cùm Iudices, tùm partes, qui litem instituant. De quibus in genere in Libris Feudorum nihil occurrit. In Consuetudinario verò Normanniæ Iudex [a] Iustitiarius dicitur, & à Iustitia nomen accipit, eò quod Iustitiandi homines, & de querimoniis cognoscendi potestatem habet. Et [b] Querimonia est ostensio facta Iustitiario conquerendi de injuria irrogata, ut super hoc injuriam passo justitia tribuatur. [c] Placitatores sunt qui querelam deducunt in Curia, tam querelando, quàm respondendo; è quibus querelatus est persona de quâ ostenditur querimonia Iustitiario, ut super ea jus exhibeat prout debet: Sed & notandum, quod non solum foris bannizati, sed etiam [d] excommunicati ab omni actione in Laicali Curiâ expellendi sunt, & omnis audientia ipsis agentibus debet denegari; respondere tamen tenentur, si quis contra eos agere voluerit

a Cust. c. 4.

b C. 54.

c C. 53.

d C. 62.

luerit; [d] Clerici verò & Personæ Ecclesiasticę ab omni Laicali curia sunt exempti, nisi in quantum exigit feodum Laicale. Deniq; Partes [e] Attornatos Possunt facere & constituere in omni querela, exceptis casibus in quibus Leges propriè & per se requirunt actionem; qui attornati quærelam deducere possunt placitando, nec tamen componere vel transigere. Item [f] Proloquutores instituere possunt ad loquendum, cujus verba idem pondus habent, ac si ex ore instituentis processissent.

[d] C. 82.

[e] C. 65. & 126.

[f] C. 64.

SECT. 2.

De Curiis temporalibus, & de Curiis Domini supremi.

Curia temporalis est forum sive tribunal in quo causæ temporales terminantur. Est á, vel Domini Supremi, vel Dominorum superiorum, vel Dominorum inferiorum. Curia Domini Supremi est in qua Lites coram Iudicibus Regiis instituuntur.

PRo commodiori exercitio Iudicii, Curiæ sive Loca certa in quibus Iudices causas audiant & definiant, instituta sunt; in quibus præcipuæ sunt quæ ad Dominum supremum pertinebant. Ita secundum Consuetudines Feudales graviores causæ in Curia Imperatoris tractabantur, ut [a] si contentio esset inter primi ordinis vasallos, veluti Duces, Marchiones, & Comites, vel [b] si de Beneficio regali controversia fuisset, coram Iudicibus Imperatoriis disceptabatur: Sed & à Iudicibus aliis ad Imperatorem [c] Appellationes interponebantur. Multo magis [d] Causæ Capitales à Iudicibus Imperatoriis decidi debuerunt.

[a] Feud. l. 1. tit. 18.

[b] L. 2. tit. 34.

[c] L. 1. tit. 22.

[d] L. 2. tit. 27.

In Consuetudinario Normanniæ definitur [e] Curia congregatio eorum certo loco & die assignato per quos jus

[e] Cust. c. 53.

jus est super querelis placitantibus exhibendum. Vt [f] Princeps Normanniæ principalitèr Curiam tenet de omnibus injuriis quæ ad suam pertinent dignitatem, veluti de Moneta & similibus, item de placitis Gladii, & de omnibus aliis rebus ad Lucalem Curiam pertinentibus, de quibus querimonia ad ipsum delata est. Ejusq; Iustitiarii, vel majores sunt, ut Senescallus & Magistri Scaccarii, vel minores, ut Baillivi, & Vicecomites. [g] Solebat enim antiquitùs quidam Iustitiarius cæteris superior per Normanniam discurrere, qui seneschallus Principis vocabatur, qui quod alii inferiores omiserant corrigebat, & singulis triennii singulas partes Normanniæ & Baillivas visitabat. Item [h] Scaccarium erat Congregatio Iustitiariorum superiorum, ad quos pertinet ea corrigere quæ Baillivi & minores Iustitiarii minus justè fecerant, & unicuiq; quasi ex ore principis jus reddere, & tanquam ejus oculis circumspicere quæ ad ejus honestatem & dignitatem pertinent. Et [i] quicquid in hac Curia per solenne Iudicium factum fuerat inviolabiliter ab omnibus observari debet. Baillivi, intra Baillivas sibi commissas, Iustitiandi habent potestatem: [k] sub quibus constituti sunt Subjustitiarii ad juris officia exequenda, veluti Vicecomites & spathæ sive gladii servientes. [l] Hi Baillivi instituti sunt ad conservandum pacem, ad terminandum lites sive querelas, ad destruendum latrones, homicidas, incendiarios, & alios facinorosos. Horum dicta Iudicii Assisia vocantur. Et definitur [m] Assisia Congregatio militum & hominum prudentum cum Baillivo certo loco & tempore per intervalla quadraginta dierum, ut de auditis in Curia judicium & justitia exhibeatur. Et in hac etiam Curiâ quod factum est, in jure firmitatem obtinere debet. Vnde [n] Curiæ Recordationum appellantur, quia non solum quæ fiunt in curia placitando, id est, quæ motæ querelæ occasione deducuntur, sed & quæ fiunt denuntiando, ut venditiones, attornationes, & hujusmodi aliquando in iis peraguntur, ut Recordationis retineant fulcimentum. Atq; hujusmodi

f Ibid.

g C. 10.

h C. 56.

i Ibid.

k C. 4.

l Ibid.

m C. 24.

n C. 123.

di sunt Curiæ Principis sive Ducis Normanniæ à quibus si quis Iurisdictionem ad alias Curias transferre vellet, per Iudices coërcendus est.

SECT. 3.

De Curiis Dominorum Superiorum.

Curiæ Dominorum superiorum sunt in quibus causæ coram Iudicibus à Dominis superioribus constitutis disceptantur.

DE Iure Feudorum non solum Imperator sed & alii Domini prout Iurisdictionem, ita etiam Curias habuerunt, veluti [a] majores valvasores, Duces scilicet, Marchiones, & Comites. Et de Consuetudine Normanniæ [b] qui habent Comitatus, & Baronias vel alias dignitates feudales, non solum de querelis ex feodo procreatis, & omnibus aliis querelis quæ contra residentes feodi procreantur, sed etiam aliquando ex concessione Principis Normanniæ, de Placitis spathæ sive gladii, veluti de Roberiâ & murdredo, Ius dicendi potestatem habent.

[a] Feud. l. 2. tit. 89.

[b] Cust. c. 53. c. 2. & c. 93.

SECT. 4.

De Curiis Dominorum inferiorum.

Curiæ Dominorum inferiorum sunt in quibus causæ quæ ad eorum Iurisdictionem spectant, terminantur.

INter suos vasallos etiam [a] minores valvasores Iudicandi potestatem obtinebant. Et in Normannia etiam [b] milites & qui habent Feoda Loricæ vel alia franca feoda, Curias habent de suis residentibus in simplicibus querelis levibus & grossis, & mobilibus hæreditatibus, etiamsi per duellum habeant, terminari.

[a] Feud. l. 2. tit. 55. in fine.

[b] Cust. c. 53.

SECT.

SECT. 5.

De Cognitione temporali, & de Cognitione Per Iudicium Parium.

Cognitio temporalis est modus explorandi veritatem in controversiis temporalibus, utpote per Iudicium Parium, per Duellum, & per Purgationem Sacramentalem. Cognitio per Iudicium Parium est quando post inquisitionem de veritate & meritis causæ convasalli vel vicini quid statuendum sit in Curia proferunt.

SEcundum Consuetudines Feudales modi quidem explorandi veritatem in judicio, qui de Iure Civili in usu non fuerunt, introducti sunt, quorum præcipuus erat [a] Iudicium Parium, cum scilicet Convasalli, qui etiam Pares Curiæ dicebantur, de causis cognoscebant quorum Iudicium Laudamentum Parium dicitur.

De Consuetudine Normanniæ ejusmodi modus, explorandi merita causæ in judicio adhibetur, qui Inquisitio dicitur, quæ est Recognitio veritatis illius rei super quam contentio ventilatur, per Sacramentum duodecim hominum, militum, vel aliorum fide dignorum, qui neutri parti aliquâ occasione sunt suspecti; & hujusmodi Inquisitio tenenda est per eos qui infra vicinetum nati, & diu commorati sunt, si tales idonei inveniri possunt. [c] De vicineto verò illi dicuntur qui infra Leucam in Parochiâ, vel Parochiis adhærentibus commorantur. [d] Iidem Iuratores dicuntur, quia præstito in Curiâ corporali Sacramento, tenentur de querelis verum dicere prout iis à Iustitiariis inculcatum fuerit.

[a] Feud. l. 2. tit. 21. & l. 2. tit. 55.

[b] Cust. c. 9.

[c] C. 115.

[d] C. 69.

SECT.

SECT. 6.

De Cognitione per Duellum.

Cognitio per Duellum est quando singulari certamine Lis dirimitur.

SEcundus modus experiundi juxta Ius Feudale erat [a] Duellum sive singulare certamen in quo qui succubuit idem etiam in causâ cadebat.

[a] Feud. l. 2. tit. 27.

[b] Cust. c. 68. & 127.

Ejusmodi mos in Consuetudinario Normanniæ [b] Vadiatio Duelli, & Lex apparens dicitur, in quo sic procedi-tur: In die scilicet Duello assignato, Pugiles ante horam meridiei in Curiâ comparere debent, in tunicis cum scutis & baculis cornutis armati, capillos super aures rotundè adæquatos habentes: cumq; uterq; eorum se Iustitiario obtulerit, Duelli verba per Iustitiarium debent recitari; & deinde ad campum ducendi sunt pugnaturi, & quatuor milites eligendi sunt, qui campum custodiant, omnesq; alii sedere debent in Coronâ, & bannum Ducis proclamatur, ne quis, sub pœnâ vitæ & membrorum, verbo vel facto, alicui pugilum auxilio vel impedimento sit. Tum Pugiles præstitis invicem juramentis, de veritate causæ, & quod sorcerias non adhibeant; &, peractâ competenter oratione, pugnam ineunt, & si Defensor se usq; ad stellas de nocte in cœlo apparentes defendere poterit, victoriam consequitur.

SECT. 7.

De Cognitione per Purgationem Sacramentalem.

Purgatio Sacramentalis est quando secundum juramentum Partis, & aliorum fide dignorum, de Lite statuitur.

Tertius

TErtius modus Cognoſcendi de Iure Feudali erat cum per [a] Sacramentum Lis decidebatur, id eſt, cum quis proprio juramento ſe purgaret, & duodecem alios Sacramentales adduceret, qui de credulitate ejuſdem Sacramenti aſtipularentur. Quj modus apud Normannos [b] Deſrainia & vadiatio Legis dicitur, quæ eſt Lex quædam per quam in ſimplicibus querelis reus factum quod à Parte ei adversâ objicitur ſe non feciſſe declarans, ad purgandum ſe per ſacramentum ſuum, & coadjutorum admittitur, quod cum fecerit liberatur, & pars adverſa in emendâ remanebit.

[a] Feud. lib. 1. tit. 26.

[b] Cuſt. c. 126.

SECT. 8.

De *Coërcitione temporali, & de Coërcitione circa bona.*

Coercitio temporalis eſt modus puniendi contemptus & delicta in Iudicio temporali; veluti ſupplicia quæ circa bona, quæ circa ſtatum, & quæ circa corpus irrogantur. Coercitio circa bona eſt cum bona mobilia vel immobilia ad tempus diſtringuntur, vel in perpetuum auferuntur.

AD vigorem Iudicii ſuſtinendum Coërcitio temporalis comparata eſt. Quæ de Iure Feudali primò fit [a] per diſtrictionem bonorum mobilium, vel per miſſionem in poſſeſſionem immobilium, item cum mulcta imponitur, vel omnia bona proſcribuntur.

[a] Feud, l. 2. c. 27.

[b] Cuſt. c. 6.

Haud aliter de Conſuetudine Normanniæ [b] Iuſtitiatio fit per mobile, veluti per captionem & detentionem pecorum aut aliorum mobilium quæ infra feodum vel Iuriſdictionem deprehenduntur: & per feodum, cum aliquis

in feodi possessionem mittitur, nec non cum bona vel feoda tanquam forisfacta capiuntur.

SECT. 9.

De *Coërcitione circa statum.*

Coercitio circa statum fit Incarceratione, quâ libertas adimitur, & Bannitione, quâ quis Communione temporali excluditur.

IN Libris etiam Feudorum Incarcerationis & [a] Bannitionis pœnæ pro delictis impositæ reperiuntur. Et in Consuetudinario Normanniæ [b] Iustitiatio etiam fit per Corporis captionem & detentionem in carcere. Sed & si quis conetur Iudicium subterfugere ad tres continuas assisas vocari debet, ad quartam assisam recitatâ causâ & subterfugio debet forbannizari, ita quod si quis eum post lapsum hujus assisæ invenerit, ipsum debet reddere vivum vel mortuum Iustitiario, vel si eum capere non potuerit clamorem patriæ qui dicitur Harou, post ipsum excitare.

a Feud. l. 2. tit. 27.
b Cust. c. 6. c. 23. & c. 24.

SECT. 10.

De *Coërcitione circa corpus.*

Coercitio qua corpus afficitur, est quâ sanguis vel vita tollitur: Sanguis tollitur amputatione membrorum; vita aufertur gladio, Laqueo, & similibus.

IN Libris Feudorum inter supplicia corporalia minora [a] manûs amputatio, cum scopis & forcipe excoriatio reperiuntur: inter graviora sunt supplicia Capitalia, ut pœna

a Feud. l. 2. tit. 27. & 55.

na [b] gladii vel Laquei quibus vitâ quis privatur. Ita etiam de Consuetudine Normanniæ quædam sunt causæ quæ [c] Placita spathæ sive gladii dicuntur, quod in iis Malefactores gladio & armis sunt reprimendi, & querelæ criminosæ dicuntur quas sequitur membrorum aut vitæ damnamentum.

b Tit. 27. §. 8.

c Cust. c. 5.

PARS QVARTA.

SECT. I.

De *Iudicio circa negotia temporalia in specie, & de judicio circa Institutionem feudi.*

IVdicia circa negotia temporalia in specie sunt quando de Creatione feudi, de Acquisitione, Contractu, vel Delicto temporali Lis movetur. Iudicium circa Creationem vel Constitutionem feudi est quando quæstio est utrum aliquod feudum sit necne, aut quale sit.

CVm circa negotia temporalia in specie dubia & controversiæ oriantur, pro iis discutiendis & terminandis Iudicia etiam comparata sunt. Et primum hujusmodi est judicium cum de feudi statu vel conditione contenditur, utpote de feudi statu, [a] cum Dominus in possessione feudi constitutus, se de eo Investituram feciſſe negat, alter verò agit ut investituram probet per instrumentum publicum, vel per Pares Curiæ, aut si nulli sint per extraneos; quod si nec hi extent, jurisjurandi Electionem Domino facit, ita ut jurare, aut juramentum referre cogatur. Et è converso, si vasallus in possessione fuerit. De Feudi conditione controvertitur, [b] cum Dominus

[a] Feud. l. 1. tit. 4. & l. 2. tit. 2.

[b] L. tit. 26. l. 2. tit. 2.

minus feudum novum, Agnati verò defuncti paternum esse contendunt. Eodem modo de Consuetudine Normanniæ de naturâ vel qualitate feudi litigatur, secundum brevia sive rescripta certa pro naturâ causarum ad vicecomitem destinata.

SECT. 2.

De Iudicio Acquisitionis temporalis, & de Iudicio Acquisitionis feudi.

Iudicium Acquisitionis temporalis est in quo agitur de acquisitione rei alicujus temporalis, veluti de acquisitione feudi, de acquisitione juris alicujus in feudo, & de acquisitione rerum mobilium. Iudicium acquisitionis feudi est cum de possessione vel proprietate feudi Lis est.

CVm de Investiturâ feudi constat secundum consuetudines Feudales [a] agere potest investitus ut dominus ipsum in realem possessionem feudi mittat, & si differat, ut utilitatem omnem ei præstet. Item [b] cum quis se ab alio spoliatum queritur, actio instituitur ut ad feudi possessionem restituatur, sed ex causâ successionis controversia in Iudicium deducitur, [c] cum filia defuncti contra agnatos feudum fœmininum vendicat, vel è contra agnati contra filiam pro feudo fœminino agunt.

De Consuetudine etiam Normanniæ quando de feodis controvertitur aliquando Ius possessionis in judicium deducitur, ut in Brevi novæ Disseisinæ, & in Brevi de morte Antecessoris, aliquando jus proprietatis, ut in Brevi de Iure apparente & in Brevi de stabilitâ. [d] Breve novæ Disseisinæ in hæc verba instituitur: præcipe Titio quod sine morâ Getæ possessionem restituat terræ apud B. de cujus possessione eum injustè post ultimum Augusti ejecit, quod nisi fecerit, submone cognitionem de vicine-

[a] Feud. l. 2. tit. 4. l. 2. tit. 7.

[b] L. 2. tit. 8. & tit. 43.

[c] Feud. l. 2. tit. 41.

[d] Cust. c. 94.

to quòd sit ad primas Assisias Baillivæ ad recognoscendum &c. Et terram interim videri facias & esse in pace. Recognitio ab ultimo Augusto fieri debet, quando de terris agitur quarum fructus eo tempore percipiuntur; in aliis, ab iis temporibus fieri debet in quibus aliquid præstari
e C. 99. consuevit. [e] Breve de morte Antecessoris sub hujusmodi concipitur formâ: Si Titius dederit Plegios de clamore suo prosequendo, submone Recognitionem de Vicineto quòd sit ad primas Assisias Baillivæ ad Recognoscendum si Nicolaus fuit seisitus hoc anno quo mortuus est de terrâ apud G. quam Sempronius ei deforciavit, & utrum Titius sit propinquior hæres ad habendum successionem, & interim terra videatur, & sit in pace. In Recognitione hujusmodi attendendum est, utrum Antecessor seisitus erat. Et seisitus aliquis dicitur, cum per ipsum, vel nomine ipsius, vel ad opus ipsius seisina sive possessio habetur. Et nullus annos discretionis attingens, hanc Recognitionem habebit, nisi Breve ceperit infra annum & diem quo Antecessoris illius mors communiter fuerat publicata: Illis autem qui nondum annos discretionis attigerunt, nulla temporis diuturnitas præjudicat quin habeant inquisitionem
f C. 27. supradictam, [f] Si quandò verò quæstio emergat, utrum quis hæres sit legitimus quasi in non-legitimo matrimonio natus: Quia multa Matrimonia in occulto fiunt, nec sunt publicè manifestata, de his Inquisitio per Sanctam Ecclesiam fieri debet nec ad Curiam Laicalem spectat de iis judicare. Nam si sancta Ecclesia eos pro Legitimis habet, Curia Laicalis pro legitimis reputare debet.
g C. 127. [g] Legis sive Iuris apparentis querela in contentione Feodali sic deducitur. Ego queror de N. qui mihi difforciat quoddam feodum apud R. quod Pater vel Avunculus cujus sum hæres propinquior, tempore pacis post Coronationem Regis Richardi pacificè possedit, in quo nullum
h C. 113. jus habet contra me. [h] Mentio verò haberur Regis Richardi, quòd cum antiquitùs præscriptio solebat currere de triginta annis, quod tempus non erat ad memoriam ex facili

facili reducendum, voluit Princeps Normanniæ, ut Præscriptionis terminus autoritate alicujus rei solennis denotaretur; & primò terminus erat post Coronationem Regis Henrici; post institutum fuit à Rege Philippo, quod hujusmodi Præscriptio curreret à tempore Coronationis Regis Richardi. [i] Ad hanc autem Querelam si in die assignato querelatus respondeat, hæc omnia denego de verbo in verbum, quod paratus sum defendere, incontinenti debet tradere vadium suum sive pignus Iustitiario qui terminum competentem tam Loci quam temporis ad Duellum deducendum assignabit. [k] Sed & hujusmodi Controversia non solùm per Duellum, sed etiam per Inquisitionem Patriæ, quæ Recognitio dicitur, terminari potest. Breve de [l] stabiliâ contrà competit quando quis queritur Feodum vel terram ab eo injustè exigi, ut de proprietate Feodi inquiratur, sub hac formâ: Queritur N. quod G. injustè exigit ab eo quandam terram apud R. unde petit Domini Principis Normanniæ stabiliam ad Recognoscendum quis Majus jus habet in illâ, is qui tenet, an is qui exigit. Vnde Plegiis receptis de stabiliâ prosequendâ, & Visoribus ad visionem submonitis, dies partibus ad Assisias est assignandus: quo die ad Recognitionem hujus Brevis faciendam jurari debent Milites, & alii homines fide digni, qui infrà vicinetum originem traxerunt, & veritatem de eo de quo queritur meliùs proferre possunt.

[i] C. 127.

[k] C. 87.

[l] C. 115.

SECT. 3.

De Iudicio Acquisitionis Iuris in feudo.

Iudicium Acquisitionis Iuris in Feudo, est in quo disceptatur vel de Acquisitione usufructus integri, vel de Acquisitione juris cuiuscunq; particularis in Feudo alterius.

Quemad-

to quòd sit ad primas Assisias Baillivæ ad recognoscendum &c. Et terram interim videri facias & esse in pace. Recognitio ab ultimo Augusto fieri debet, quando de terris agitur quarum fructus eo tempore percipiuntur; in aliis, ab iis temporibus fieri debet in quibus aliquid præstari consuevit. [e] Breve de morte Antecessoris sub hujusmodi concipitur formâ: Si Titius dederit Plegios de clamore suo prosequendo, submone Recognitionem de Vicineto quòd sit ad primas Assisias Baillivæ ad Recognoscendum si Nicolaus fuit seisitus hoc anno quo mortuus est de terrâ apud G. quam Sempronius ei deforciavit, & utrum Titius sit propinquior hæres ad habendum successionem, & interim terra videatur, & sit in pace. In Recognitione hujusmodi attendendum est, utrum Antecessor seisitus erat. Et seisitus aliquis dicitur, cum per ipsum, vel nomine ipsius, vel ad opus ipsius seisina sive possessio habetur. Et nullus annos discretionis attingens, hanc Recognitionem habebit, nisi Breve ceperit infra annum & diem quo Antecessoris illius mors communiter fuerat publicata: Illis autem qui nondum annos discretionis attigerunt, nulla temporis diuturnitas præjudicat quin habeant inquisitionem supradictam, [f] Si quandò verò quæstio emergat, utrum quis hæres sit legitimus quasi in non-legitimo matrimonio **natus**: Quia multa Matrimonia in occulto fiunt, nec sunt publicè manifestata, de his Inquisitio per Sanctam Ecclesiam fieri debet nec ad Curiam Laicalem spectat de iis judicare. Nam si sancta Ecclesia eos pro Legitimis habet, Curia Laicalis pro legitimis reputare debet. [g] Legis sive Iuris apparentis querela in contentione Feodali sic deducitur. Ego queror de N. qui mihi difforciat quoddam feodum apud R. quod Pater vel Avunculus cujus sum hæres propinquior, tempore pacis post Coronationem Regis Richardi pacificè possedit, in quo nullum jus habet contra me. [h] Mentio verò habetur Regis Richardi, quòd cum antiquitùs præscriptio solebat currere de triginta annis, quod tempus non erat ad memoriam ex facili

[e] C. 99.

[f] C. 27.

[g] C. 127.

[h] C. 113.

facili reducendum, voluit Princeps Normanniæ, ut Præscriptionis terminus autoritate alicujus rei solennis denotaretur; & primò terminus erat post Coronationem Regis Henrici; post institutum fuit à Rege Philippo, quod hujusmodi Præscriptio curreret à tempore Coronationis Regis Richardi. [i] Ad hanc autem Querelam si in die assignato querelatus respondeat, hæc omnia denego de verbo in verbum, quod paratus sum defendere, incontinenti debet tradere vadium suum sive pignus Iustitiario qui terminum competentem tam Loci quam temporis ad Duellum deducendum assignabit. [k] Sed & hujusmodi Controversia non solùm per Duellum, sed etiam per Inquisitionem Patriæ, quæ Recognitio dicitur, terminari potest. Breve de [l] stabiliâ contrà competit quando quis queritur Feodum vel terram ab eo injustè exigi, ut de proprietate Feodi inquiratur, sub hac formâ: Queritur N. quod G. injustè exigit ab eo quandam terram apud R. unde petit Domini Principis Normanniæ stabiliam ad Recognoscendum quis Majus jus habet in illâ, is qui tenet, an is qui exigit. Vnde Plegiis receptis de stabiliâ prosequendâ, & Visoribus ad visionem submonitis, dies partibus ad Assisias est assignandus: quo die ad Recognitionem hujus Brevis faciendam jurari debent Milites, & alii homines fide digni, qui infrà vicinetum originem traxerunt, & veritatem de eo de quo queritur meliùs proferre possunt.

i C. 127.

k C. 87.

l C. 115.

SECT. 3.

De Iudicio Acquisitionis Iuris in feudo.

Iudicium Acquisitionis Iuris in Feudo, est in quo disceptatur vel de Acquisitione usufructus integri, vel de Acquisitione juris cuiuscunq; particularis in Feudo alterius.

Quemad-

QVemadmodum de Iure Feudorum constitutio usus-fructus & juris cujusq; alterius à Iure Civili ut plurimum pendebat: ità nihil apparet quin Iudicia de iisdem secundum actiones Iuris Civilis procederent.

De Consuetudine Normanniæ pro diversis causis in quibus integer ususfructus Feudi alicui debetur, quædam remedia sive modi agendi præscribuntur. Et primò quod ad Custodiam sive Tutelam attinet, [a] Hæredes in primo post vicessimum annum completum, seisinas sive possessiones Antecessorum suorum, & eorum quorum Escætæ sive successiones ad ipsos tanquam propinquiores hæredes devenire debuerunt, per Inquisitionem revocare possunt. Deinde ratione [b] Maritagii Iudicium instituitur, si marito objectum fuerit defunctam ejus non fuisse uxorem: de quo Inquisitio tenenda est utrum de consensu Ecclesiæ eam habuerit in uxorem tempore quo decessit: quod si probare obtulerit, ad Ecclesiasticam Curiam remittetur. Item si negatum fuerit, eum prolem ex defunctâ suscepisse; de quo Inquisitio per vicinium fiet ubi dicitur ortum suscepisse, Item si post mortem mariti hæredes uxoris feodum in quo durante ejus viduitate successio impediebatur, revocare velint. Præterea [c] de Dote sive Dotalitio in Iudicio quæritur, cum Relicta contra hæredes Mariti vel contra alios possessores in quos maritus feodum transtulit, pro dote agit. Et duobus modis mulier dotem suam contra detinentes requirere potest, per Breve de dote, aut per Recordationem. Conficitur autem Breve de dote in hac formâ: Si M. dederit Plegios de clamore suo prosequendo, submone Recognitionem de vicineto, quod sit ad primas Assisias Baillivæ, ad recognoscendum utrum N. maritus ejus quando duxit eam in uxorem erat seisitus de terrâ apud B. modo quo eam dotare posset & deberet, cujus dotem T. ei difforciat minus justè &c. Cum verò in contractu Matrimonii dos de terrâ specificatâ assignata fuit, petitur à Iudice per Recordationem,

[a] Cust. c. 33.

[b] C. 101. & 121.

[c] C. 102. & 103.

id

id est, per Attestationem eorum qui tempore contractus interfuerunt: & illud quod per Recordationem majoris partis, dum tamen Septenarium numerum attingat, recognitum fuerit, observari debet, receptis prius sacramentis à singulis de veritate recordandâ. Sed & de Dote habetur Inquisitio, cum post decessum Relictæ quæ terram in dotem ceperat, ab hærede Mariti petitur: Et in hoc Iudicio inquirendum est, utrum relicta ex cujus morte Feodum illud requiritur, ipsum in dotem habuerit ratione mariti sui, & utrum requirens propinquior sit hæres illius de cujus possessione dotalitium factum fuerit. Deniq; si de jure quo particulari in terrâ vel feoda alterius controversia esset, iisdem modis quibus de Feodo agitur, videtur agi posse.

SECT. 4.

De Iudicio Acquisitionis rei mobilis.

Iudicium Acquisitionis rei Mobilis est in quo de Proprietate rei Mobilis controvertitur.

DE hoc iudicio in Libris Feodorum sicut de superiore haud quicquam occurrit. In consuetudinario autem Normanniæ, dicitur [a] Querela de re Mobili, cum super aliquâ possessione mobili inter partes adversas contentio ventilatur: ut, cum Titius petit à Seio equum quem ab eo injustè detinet; vel, [b] cum quis rem detinet quam ab alio recepit, cum pecora aberrantia, vel bona inventa, infra tempus requisita, non restituit, cum bona alicujus mobilia indebitè distrinxit, vel furto ablata susce-

[a] Cust. c. 87.

[b] C. 91.

SECT. 5.

De Iudicio Contractus temporalis, & de Iudicio Contractus circa feudum.

Iudicium Contractus temporalis est in quo agitur de Contractu temporali, veluti de Contractu circa Feudum, de jure aliquo in feudo, vel de re aliquâ mobili. Iudicium Contractus circa feudum est in quo [illegible]ertitur de Proprietate feudi ex causâ venditionis [illegible]um de Evictione agitur.

QVemadmodum de Acquisitione temporali, ita etiam de contractibus Iudicia instituta sunt. Et primùm de Contractu circa Feudum agitur, [a] cum is qui feudum emit, agit ut ad realem feudi possessionem admittatur, vel postquam admissus est, & feudum ab alio recuperatum est, Litem [b] de evictione movet, maximè si cum de feudo interpellatus esset, autorem suum, ut cum defenderet, invocavit.

Eodem modo secundum Consuetudines Normanniæ Iudicium circa contractum de Feudo vendito instituitur. Cum quis [c] alteri terram vel feodum alienum tradidit, qui recepit eum in Iudicium ad garantizandum, id est ad proprietatem præstandum vel ad Excambiendum, id est ad aliud feodum eiusdem valoris dandum vocare potest.

a Feud. l. 2. tit. 7.

b Lib. 2. tit. 8. & 80.

c Cust. c. 50. & 113.

SECT. 6.

De Iudicio Contractus de Iure aliquo in feudo.

Iudicium Contractus de Iure in Feudo est quod instituitur de

de obligatione quæ ex ejusmodi Contractu oritur, veluti ex Locatione vel ex Oppignoratione Feudi.

DE Iure Feudorum is qui Feudum conduxit contra eum à quo conduxit iudicium instituendi causam habuit, [a] Si ante tempus in conventione præfinitum Feudi usum impediret; & [b] is qui feudum locavit, pro mercede agere potuit, & transacto tempore pro restitutione Feudi, sed & [c] ante illud tempus si quis iure feudi abuteretur. Eodem Iure ut Creditor in possessione Feudi oppignorati, donec debitum solutum esset, defendebatur, ita [d] si quis Feudum pignori datum inficiaretur, vel [e] soluto pretio non restitueret, ad agnoscendum & restituendum compellendus erat.

a Feud. l. 2. tit. 87.
b L. 2. tit. 27.
c L. 2. tit. 27.
d L. 1. tit. 11.
e L. 1. tit. 27. l. 2. tit. 51.

In Consuetudinario Normanniæ Brevia occurrunt, de Feodo & Firmâ & de Feodo & Vadio. [f] De Feodo & Firmâ Breve conficitur in hæc verba: Si R. dederit Plegios de clamore suo prosequendo, submone Recognitionem de vicineto quod sit ad primas Assisias Baillivæ ad recognoscendum utrum terra quam P. ei difforciat, sit Feudum tenentis vel firma mobilis tradita per manus G. & utrum R. sit propinquior hæres illius qui eam tradidit ad Firmam. [g] De Feodo etiam & Vadio Breve currit in hæc verba: Si T. dederit Plegios &c. submone Recognitionem &c. ad recognoscendum utrum terra sive Feodum quod A. ei difforciat, sit Feodum tenentis, vel vadium invadiatum per manum G. & pro quanto, & utrum T. sit propinquior hæres ad redimendum vadium.

f Cust. c. 114.
g C. 113.

SECT. 7.

De Iudicio Contractus de re mobili.

Iudicium de Contractu circa rem Mobilem, est in quo agitur de obligatione ex Contractu de re Mobili, vel facto aliquo præstando, proveniente.

HVIusmodi etiam Iudicia secundum regulas Iuris Civilis terminanda Ius Feudale permisisse videtur.

At in Consuetudinario Normanniæ eorum vestigia aliqua apparent, ubi [a] contentionis legitimæ causa habetur, si quis pecuniam quam mutuò, vel equum quam commodatò accepit, reddere recusat. Item, si quis, illud, quod promisit dare vel facere negligit. [b] Et in hujusmodi causis homines non solum pro se, sed etiam pro aliis, ut Plegii scilicet, Hæredes, & Executores, conveniri possunt. [c] Notandum verò de simplici plegiatione, quòd mortuo Plegio moritur Plegiatio, quia simplex Plegiatio non transit ad hæredes. Cum verò quis una cum alio se constituit debitorem principalem, eo mortuo conveniri potest. Sed & filius cui Patris hæreditas devenit, item Executores & alii ad quos Catalla mortuorum pervenerunt pro eorum debitis conveniri possunt. Nemo verò de Antecessoris debito præstare tenetur ultra valorem ejus quod de ejus hæreditate percepisse dignoscitur. Atq; hæc etiam de Iudiciis circa Contractus Feudales.

a Cust. c. 87. & c. 88.

b C. 91.

c C. 60.

SECT. 8.

De Iudicio Delicti temporalis, & de Iudicio Delicti contra Fidelitatem.

Iudicium Delicti temporalis est in quo agitur de Delicto contra Ius temporale commisso, estq; vel de Delicto contra Fidelitatem, vel contra Pacem, vel contra officium temporale. Iudicium Delicti contra Fidelitatem est quo quæritur de Delicto contra Fidelitatem sive Ligeantiam perpetrato, ut de crimine Læsæ Maiestatis, Proditionis, Rebellionis, Seditionis, & similibus.

NOn solum ad explorandum ad quos Dominium & jus in rebus competit, & ad tuendum commercium & negotia-

negotiationem per contractus, ſed etiam ad reprimendum delicta, Iudicia Feudalia inſtituta ſunt. Quæ, in quantum apparet, de Iure Mediolanenſi (prout de Iure Civili conſueverunt) ab [a] Inquiſitione, Denunciatione & Accuſatione procedebant.

a Extrav. tit. 1.

Nec modi diſſimiles erant quibus de Conſuetudine Normanniæ Delicta vel Crimina in Iudicium deducebantur. Nam quandoq; ad Clamorem populi, quandoq; ex relatione fide dignorum, aliquandò ad querelam vel accuſationem partis, quæ vulgo Apellum dicitur, de criminibus aut delictis in Iudicio quæritur. Et primò [b] clamor qui dicitur Harou conſuevit exclamari in diſcrimine criminoſo, ad Ignem ſcilicet vel ad Latronem, Homicidium vel Roberiam. Et ad hunc Clamorem omnes debent exire qui illam audiverant, & ſi maleficium viderint propter quod author ejuſdem diſpendium vitæ vel membrorum pati debeat, ipſum debent retinere, vel clamorem ſupradictum augere, aut aliter pro negligentia Principi emendare. Cum autem malefactorem apprehenderint; eum Iuſtitiario reddere debent, nec apud ſe, niſi propter imminens periculum ultra unam noctem detinere. Omneſq; quos officiarius requiſierit ad malefactores hujuſmodi cuſtodiendos vel eos in carcerem deducendos, ſibi auxilium impertire, in villâ in quâ reſidentes ſunt, vel per unum diem debent ſubſidium proprii corporis vel alicujus alterius ſatis idonei pro ipſis exhibere. Deinde in Criminibus manifeſtis ſeu notoriis, illi, quos [c] Fama publica ſeu fide-dignorum teſtimonium culpabiles oſtendit, non expectato Iuris ordine, arreſtari ſolent & carceribus mancipari, quouſq; per legem Patriæ fuerint liberati. Nullus autem Clericus vel perſona Eccleſiaſtica debet capi vel arreſtari, niſi ad præſens maleficium captus fuerit, vel quouſq; captus fuerit cum Clamore Harou inſecutus, & Eccleſiæ reddi debet ipſum requirenti. In cujus Curiâ ſi de objecto ſibi crimine confeſſus fuerit vel convictus, ab omni ordine & privilegio Clericali eſt penitùs deponendus

b Cuſt. c. 54.

c Cuſt. c. 4. & 5.

dus, & exul à Patriâ profugandus, dum tamen tale sit maleficium quod vitæ vel membrorum percipere debeat damnamentum. Hujusmodi enim personæ ab omni Laicali Curia sunt exemptæ, nisi in quantum exigit Feodum
d C. 24. & 81. Laicale. Sed & [d] quivis alius ad Ecclesiam vel ad Loca Sancta diffugiens, per octo dies potest in Ecclesiâ morari: Custodes verò ne exindè diffugiat Iustitiarius Laicalis apponere debet: & nono die ab eo est inquirendum, utrum se exponere voluerit Iustitiæ Laicali, vel se tenere Ecclesiæ. Et, si se tenere voluerit Ecclesiæ, Patriam forjurare necesse habet, militibus præsentibus & aliis fide dignis, sub hac forma: Hoc audiant omnes Assistentes quod tu de cætero in Normanniam non intrabis, nec aliquod malum vel detrimentum propter hanc Prisonam per te vel per alium dictæ terræ vel habitatoribus ejusdem facies, vel facere procurabis: Sic Deus & Sacrosancta te adjuvent: Quæ verba jurans etiam de se debet exprimere; & hoc facto, declarare per quas partes Normanniæ exire voluerit; & eidem secundum distantiæ quantitatem terminus competens exeundi assignandus; nec exeunti ultra unius noctis spatium in unâ villâ morari licet, nisi gravi & evidenti infirmitate teneatur, nec ad loca reverti jam transacta; &, si expleto termino in Normanniâ inventus fuerit, vel reversus fuerit per Leucam, suum judicium secum reportabit; nec debet Ecclesia ei ulteriùs patrocinari. Et
e C. 23. ut [e] forbannizatus, ita & is qui patriam abjuravit, bona quæ possidebat universa forisfacit. Postremò de delicto per viam Appelli vel Accusationis in judicio proceditur, cum quis expositâ querelâ crimen aliquod vel dehctum alteri objicit, & coram Iustitiario offert se paratum facere quod adversarius id quod ei objicitur recognoscat certo die & horâ: quod cum alius denegat de verbo ad verbum, & offert vadium sive pignus ad defendendum, primùm recipitur Vadium defensoris, posteà Appellatoris, & de Duello deducendo Plegii interponuntur. &c.

Ad judicium Delicti contrà Dignitatem Regiam quod attinet,

attinet, Constitutione Henrici septimi [f] quæ inter extravagantes habetur, sic statuitur: Quod in quocunq; læsæ Majestatis crimine, maximè ubi contra Imperium vel Regem aliquid commissum asseritur, possit procedi per Accusationem, Inquisitionem, seu denunciationem, summariè & de plano, sine strepitu & figurâ judicii, prout illi qui Iurisdictioni præest videbitur expedire. Et si quis super dicto Crimine, per nuntium vel per literas, seu etiam per Edictum publicè propositum citatus, neglexit in termino legitimè & personaliter comparere, contra ipsum perindè ac si præsentialitèr omnibus interesset, tam ad receptionem Testium, & eorum publicationem, & sequentia, quam ad definitivam Sententiam, & ejus executionem, procedatur.

[f] Extrav. tit. 1.

De Proditione autem contra Ducem Normanniæ sequela fit in hac formâ, [g] Ego cui Princeps Normanniæ Castrum suum custodiendum tradidit, conqueror de T. qui mecum erat ad illud custodiendum, quod ipse proditoriè & nequitèr de Castro exiens ejus hostes introduxit, ex quo vix potui evadere; quod si negare voluerit, paratus sum facere ut recognoscat: & alio negante de verbo ad verbum, vadia recipienda sunt ad Duellum deducendum. Qui verò [h] Traditores Principis fuisse convicti vel damnati fuerint, omnes eorum Possessiones Principi remanere debent.

[g] Cust. c. 72.

[h] C. 14.

SECT. 9.

De Iudicio Delicti contra Pacem.

Iudicium Delicti contra Pacem est quo quis convenitur ob Pacem violatam vi & armis, utpote de Homicidio, de Incendio, de Latrocinio, vulneratione & similibus; vel ob Transgressiones, Injurias scilicet & Damna quæ sine vi & armis fiunt.

Post

POst Dignitatem & securitatem Principis & Imperii Paci publicæ & tranquillitati subditorum Iudicia prospexerunt. Ita[a] Constitutione Frederici Imperatoris, si quis hominem infra Pacem constitutum occidit, maximè si non necessariò sed voluntarie occidisset, capitali sententiâ damnandus erat. Ejusdem constitutione alterâ, [b] Incendiarius, si captus erat, & se Incendium commisisse negaret, septem testibus convictus Capite plectebatur, si notorium fuerat, nullius testimonio requisito, statim erat decollandus; si capi non potuit, Proscriptioni subjiciebatur. Item[c] publici Latrones, & fures qui quid quinq; solidos valens furati erant, laqueo erant suspendendi. Si quis infra Pacis Edictum alium[d] vulneravit, ejus manus erat amputanda. Et hujusmodi delictorum[e] Reus aliquando Iudicio humano sive Testibus, aliquando Divino, id est Duello, innocentiam suam purgare potuit. [f] Si verò Miles adversus militem pro Pace violatâ aut aliquâ capitali causâ Duellum committere voluit, pugnandi facultas ei non concedebatur, nisi probare posset quod antiquitùs majores ejus milites legitimi fuerint. Eodem Iure si quis alteri injuriam vel contumeliam fecit, veluti si crines ejus aut barbam expilaret, decem Libras parti læsæ, viginti Iudici persolvere; si quis temere in aliquem incurreret, vel contumeliosè tractaret, quinq; libras parti, decem Iudici pendere tenebatur. Sed & in Rebus Damnum injuriâ datum secundum Ius civile vindicari consuevisse conjicere licet. Secundum Consuetudinem Normanniæ[g] de Homicidio consultò perpetrato, quod vulgò murdredum dicitur, sequela fiebat in hac formâ: Petrus queritur de R. qui patrem suum nequiter in Pace Domini Regis occidit, quod paratus est probare &c. Et[h] hanc sequelam faciendi propinquior de genere potestatem habet, qui si in minori ætate fuerit, vel ætatem transegerit, alius propinquior prosequi potest, vel quis alius de genere in quem omnis parentela consenserit. De[i] Roberiâ similiter, ita quere-

a Feud. l. 2. tit. 27.
b L. 5. tit. 10.
c L. 2. tit. 27.
d Ibid.
e Ibid. §. 3.
f Ibid.
g Cust. c. 68.
h C. 69.
i C. 70.

querela instituitur: Ego conqueror de Titio, quod me in Pace Dei & Domini Regis felonicè invasit, & capam sive tunicam mihi abstulit. Item de [k] mutilatione membrorum quod vulgo Mehaymium dicitur, & de [l] violentâ aggressione qui Assaltus vocatur; & de reliquis, eodem modo querelæ deducebantur. [m] Si verò nemo erat qui sequelam faceret, aut clamorem, si publica infamia super hujusmodi Delicto aliquem criminosum feciſſet, Patriæ Inquisitionem sustinere debuit; id est, [n] Iurea fiebat per viginti quatuor homines probos & legales circa Loca & in locis in quibus factum fuerat maleficium, & secundum eorum dictum fieri debet Iudicium incontinenti, & Iudicium factum sine dilatione executioni demandari. Et hujusmodi Querelæ, [o] Placita Spathæ sive Gladii dicuntur, quòd in iis malefactores gladio & armis sunt reprimendi, vinculisq; & carceribus mancipandi, & demum vitæ vel membrorum dispendio coërcendi. Sed [p] qui pro hujusmodi criminibus morti damnati sunt, eorum terras & proventus earum per unam annum Princeps Normanniæ habet; & post annum elapsum Dominis à quibus tenentur sunt restituendæ. [q] Res mobiles verò sive Catallauniversa, quemadmodum qui Banniti sunt, vel Patriam abiurarunt, Duci forisfaciunt, Eodem Iure de Delictis quæ Facto vel Dicto ad alterius Contumeliam vel Iniuriam committuntur, sic statuitur, Quòd [r] pro læsione ex Facto, veluti simplici percussione, Querelatus si convictus fuerit, [s] pro qualitate Delicti tam Curiæ quam parti læsæ, emendare, vel mulctari debeat pro delicti qualitate, ut pro effusione sanguinis, pro percussione cum pugno vel palma; ita tamen quòd non sit maior Emenda tenentis Curiam, quam personæ cui illata est iniuria. [t] Nullus autem de simplici percussione quam servo suo intulit, vel filio, vel nepoti, vel uxori, vel alicuicunq; de familiâ, ad Legem provocari debet; Illud enim correctionis causâ factum præsumendum est. [u] Si verò vir uxorem mehaymiaverit, ut eruendo oculum, vel frangendo brachium,

[k] C. 73.
[l] C. 74.
[m] C. 68.
[n] C. eodem & c. 69.
[o] C. 54.
[p] C. 24.
[q] C. 23.
[r] C. 84.
[s] C. 85.
[t] Ibid.
[u] C. 101.

vel ejus corporis enormi percussione eam indebitè & nequitèr tractare consueverit, hujusmodi actiones Correctiones non judicantur. [x] Pro convitio vel Contumeliâ verbis illatâ, qui Homicidium, Latrocinium, vel ejusmodi crimen alicui objecit, gravitèr per pecuniam puniri, & injuriam passo satisfacere debet, in Assisiâ scilicet vel placitis, nasum suum per summitatem tenens, dicendo, Ex eo quod vocavi te Homicidam, mentitus fui, quia hoc crimen in te non est, & ore meo quo illud protuli me mendacem exhibui. [y] Qui levius convicium feciſſe convictus est, debet Iustitiario emendare, & passo injuriam simplicitèr dicere, quod vitium non est in eo quod ei objecerat inconsultè. [z] Sin autem quis alteri crimen objecit quod paratus est probare, ad probandum admitti potest, modò crimen tale sit quod ad ipsum pertinuerit, ut de Homicidio Patris vel Fratris, vel de furto sibiipsi illato. [a] Atq; hujusmodi Querelæ de Facto & dicto per simplicem Legem, id est, per disrainiam, quæ fit per Sacramentum Querelati & coadjutorum, erant terminandæ. De Damno quod Rebus alicujus injustè infertur, sic prospicitur, quod [b] si quis in Feudo vel Prædio suo aliorum animalia, dum damna faciunt, utpote dum blada, vel gramina depascunt, invenerit, eadem capere & detinere potest, quousq; Pignus vel Fidejussores de damno dato restaurando receperit. Sed & [c] si cui in stagnis, Boscis, Molendinis, aut aliter, facto alterius Damnum datum sit, implorato Iustitiarii auxilio resarciri debet.

x C. 86.

y C. 86.

z C. eod.

a C. 54.

b C. 6.

c C. 10.

SECT. 10.

De Iudicio Delicti contra officium temporale.

Iudicium Delicti contra Officium temporale est cum quis ob

ob aliquid contra Fidelitatem perpetratum, vel ob ſervitium non præſtitum in ius vocatur.

DE Iure Feudorum ſi quis crimen ingratitudinis commiſit, utpotè [a] ſi hoſtiliter adverſus Dominum ſe geſſiſſet, ſi uxorem vel filiam corrupiſſet, vel aliquid eiuſmodi admiſiſſet, amiſſione Feudi plectebatur. Sed & eodem iure, [b] ſi Domino petenti deſervire nollet, vel [c] ſervitium debitum præſtare recuſaret, Dominus ad auferendum feuda agere potuit.

[a] Feud. l. 2. tit. 57.

[b] L. 1. tit. 21.
[c] L. 2. tit. 24.

FINIS.

DESCRIPTIO
IURIS & IUDICII
ECCLESIASTICI
SECUNDUM CANONES
& CONSTITUTIONES
Anglicanas.

OXONIÆ,
Excudebat LEONARDUS LICHFIELD,
Anno Dom. 1636.

PARS PRIMA.

Sectio

1. *De Iure Ecclesiastico.*
2. *De Personis Ecclesiasticis, & de Gubernatore summo.*
3. *De Gubernatoribus inferioribus.*
4. *De Plebe Ecclesiastica.*
5. *De Rebus Ecclesiasticis, & de Dominico sacro.*
6. *De beneficiis Ecclesiasticis.*
7. *De Iuribus Parochialibus.*
8. *De Officiis Ecclesiasticis, & de Officio Gubernatoris summi.*
9. *De Officiis Gubernatorum inferiorum.*
10. *De Officiis Parochianorum.*

PARS

PARS SECVNDA.

Sect.

1 De *Negociis Ecclesiasticis in specie, & de Constitutione Beneficii.*
2 De *Acquisitione Ecclesiastica, & de Acquisitione Beneficii.*
3 De *Acquisitione fructuum Beneficii.*
4 De *Successione in bonis Defunctorum.*
5 De *Contractu Ecclesiastico, & de Contractu circa Beneficium*
6 De *Contractu circa fructus Beneficii.*
7 De *Contractu Conjugali.*
8 De *Delictis Ecclesiasticis & de Delictis contra Pietatem.*
9 De *Delictis contra Charitatem.*
10 De *Delictis contra Officium Ecclesiasticum.*

PARS TERTIA.

Sect.

1 De *Iudicio Ecclesiastico.*
2 De *Curiis Ecclesiasticis, & de Curiis supremis.*

3 De *Curiis intermediis.*
4 De *Curiis inferioribus.*
5 De *Cognitione Ecclesiasticâ, & de Cognitione per Probationes.*
6 De *Cognitione per Præsumptiones.*
7 De *Cognitione per Iuramentum.*
8 De *Coërcitione Ecclesiastica & de Excommunicatione.*
9 De *Pœnitentia publica.*
10 De *Suspensione.*

PARS QVARTA.

Sect.
1 De *Iudiciis circa Negotia Ecclesiastica in specie, & de Iudicio circa statum Beneficii.*
2 De Iudicio *Acquisitionis Ecclesiastica, & de Iudicio Acquisitionis Beneficii.*
3 De Iudicio *Acquisitionis fructum Beneficii.*
4 De Iudicio *circa Successionem in bonis defunctorum.*
5 De Iudicio *Contractus Ecclesiastici, & de Iudicio Contractus circa Beneficium.*
6 *De Iudicio Contractus circa fructus Beneficii.*

7 *De Iudicio circa Contractum conjugalem.*

8 *De Iudicio Delicti, & de Iudicio Delicti contra Pietatem.*

9 *De Iudicio Delicti contra Charitatem.*

10 *De Iudicio Delicti contra Officium Ecclesiasticum.*

PARS PRIMA

SECT. I.

De Iure Ecclesiastico.

IVs Ecclesiasticum est quod in Communione sacrâ secundum Leges & Consuetudines Ecclesiasticas observatur. Communio sacra est quæ Salutem æternam respicit, ad quam Pietas & Charitas conducunt. Leges Ecclesiasticæ sunt Canones generales qui in pluribus Ecclesiis recepti, & Constitutiones quæ in singulis sancitæ sunt. Consuetudines sunt mores diuturno usu comprobati, quæ circa Personas, Res, & officia in genere, deinde circa Negotia Ecclesiastica in specie versantur.

CVm ultra temporalia, quæ sunt hujus seculi, divinâ benignitate felicitas æterna hominibus sit proposita, in communione sacrâ sivè Ecclesiasticâ homines ad eam [a] Pietate & Charitate perducuntur. E quibus Pietas in verâ agnitione, & recto cultu Dei consistit; quarum priorem Ecclesia

a 22. Matth. v. 24. & seq. Lynw. ad c. 1. de officio Archipresbyt. § His autē v dilectionem Dei & v. proximi.

cleſia Anglicana profitetur ſecundum Sacras Scripturas, Symbola, Fidei Chriſtianæ, & [b] Articulos Religionis publicâ autoritate promulgatos. Poſteriorem etiam ſecundum Ordinem & Ritus, qui in [c] Liturgiâ communi, & cõſtitutionibus Eccleſiaſticis præſcribuntur. Deinde Charitas habetur aliis æquè ac ſibi benefaciendi ſtudium, ſecundum exemplar Ieſu Chriſti Salvatoris, & præcepta Evangelica. Et ad hæc tuenda etiam comparatæ ſunt Leges; Et Conſuetudines Eccleſiaſticæ. Pro Legibus habentur, Primum Canones generales, nimirum Conciliorum Univerſalium, [e] Sanctorum Patrum, nec-non [f] Pontificum Romanorum decreta, quæ in Eccleſiâ Anglicanâ vim obtinent, [g] quatenus permiſſione Regnum intra Regum recepta ſunt, & populus diuturno uſu ad obſervationem eorundem ſe aſtrinxit; Deindè Conſtitutiones propriæ, utpotè quæ in Synodis provincialibus antiquitùs ordinatæ ſunt à Legatis [h] Othone & [i] Othobono, ad quas Ioannes de Athon annotationes ſcripſit; vel ab Archiepiſcopis Cantuarienſibus quas Gulielmus Lynwood collegit, & gloſſâ præcipuæ authoritatis illuſtravit, quæ pro jure habentur [k] quatenus Conſuetudinibus & Statutis regni non repugnant, nec Prærogativæ Regiæ adverſantur; Et quæ nuperius [l] in Convocationibus ſancitæ, autoritate Regiâ confirmatæ ſunt; Item, quæ de rebus vel negotiis Eccleſiaſticis in generalibus totius Regni Comitiis ſtatuta ſunt; Deniq; [m] Conſuetudines ſunt inſtituta majorum, quæ ſine ſcriptis Longo uſu ad poſteros tranſierunt.

b Artic. edit. 1562. art. 6. 7. 8. confirmat. 13. Eliſ. c. 12.
c 5. & 6. Ed. 6. c. 1. & 1. Eliſ. c. 2.
d Diſtinct. 15. c. Canones.
e Extrav. de Conſtitut. c. Ne imitaris.
f Diſtinct. 19. & 20.
g 25. Hen. 8. c. 21. in præfatione.
h Ann. 1236. Athon. ad Conſtit. 1. v. ſtatuenda.
i Anno 1268. Lynw. ad c. 1. de Conſtit. v. Othoboni.
k 25. H 8. c. 19. in fine.
l 1 Iacobi. 1603.
m Extrav. de conſuetud. per totum. Conſtitut. Provinc. de Conſuetudine.

SECT. 2.

De *perſonis Eccleſiaſticis, & de Gubernatore ſummo.*

Perſonæ Eccleſiaſticæ ſunt qui in Communione ſacrâ vel Eccleſiaſticâ agunt. Clerici qui ad ſacra officia deſtinati

ti sunt, & Laici qui secularia tractant. E quibus alius est Gubernator summus, alii Gubernatores inferiores, alii Plebem Ecclesiasticam constituunt.

Gubernator Summus est Rex qui per universum regnum in rebus & negotiis Ecclesiasticis supremam potestatem obtinet.

IN Communione Ecclesiasticâ qui degunt, etsi disparis conditionis sunt, quatenus tamen Legibus Ecclesiasticis subjiciuntur omnes Ecclesiasticæ personæ habentur. Primùm [a] Clerici qui divinis officiis mancipati sunt, quos Deus quasi sorte quâdam ad ministerium sacrum elegit vel designavit, qui ut Deo dicati [b] ab omnibus muneribus civilibus immunes sunt. Deinde [c] Laici sunt qui in Communionem sacram admissi, sacros ordines non susceperunt.

Ad Gubernatorem summum quod attinet inter Personas Ecclesiasticas intra Regni sui terminos Rex est, [d] qui in Ecclesiâ potestatis culmen obtinet, unde [e] Constitutiones sancire potest quæ Evangelicis et Canonicis Decretis contrariæ non sunt, & quibus Episcopi et Clerici ad Canonum Ecclesiasticorum veterisq; disciplinæ observationem compellantur. Quod statutis Angliæ declaratum, nimirum [f] regnum uni supremo Regi subesse, cui universum corpus politicum in duo membra Spiritualitatis & Temporalitatis distinctum, sub Deo naturalem et humilem obedientiâ præstare debet. Et quod [g] nullus Prælatus extraneus ullam Iurisdictionem, autoritatem, vel præeminentiam spiritualem sive Ecclesiasticam infra regnum Angliæ exerceat, sed quòd omnis Iurisdictio huiusmodi coronæ Regiæ uniatur. Item quòd [h] Synodus Nationalis vel Provincialis convocari non debeat, absq; Regis Rescripto, nec in iis quicquã tractari aut determinari nisi eo assentiente, nec quicquam vim Legis obtineat priusquam regalis assensus adhibitus fuerit. Sed [i] quòd ipse possit novas leges condere circa Ceremonias et Ritus, cum consilio

a Cau. 12. q. 1. c. duo sunt. Extr. de Præbendis c. cum secundum.
b Extr. de immunitate Ecclesiæ.
c Caus. 12. q. 1. c. duo sunt.
d Caus. 24. q. 3. c. Principis.
e Distinct. 10. c. 7. & 8. Duaren. de Benef. lib. 1. c. 5.
f 24. H. 8. c. 12. in principio.
g 1. Eliz. c. 1.
h 25. H. 8. c. 19.
i 1. Eliz. c. 2. prope finem.

filio Metropolitani, vel Commissariorum in Causis Ecclesiasticis.

SECT. 3.

De Gubernatoribus Inferioribus.

Gubernatores inferiores sunt qui sub Gubernatore summo in Ecclesiasticis aliis praficiuntur; iisq; vel cum Dignitate & Iurisdictione, ut Archiepiscopi qui Provinciis, Episcopi qui Dioecesibus, Decani & Canonici qui Ecclesiis Cathedralibus, & Archidiaconi qui certis Dioceseôs regionibus praesunt; vel sine Dignitate & Iurisdictione, ut Rectores & Vicarii qui Ecclesiis Parochialibus praeponuntur.

[a] Distinct. 21. c. 1. & distinct. 99. c. 1. & 2. caus. 6. q. 3. c. scitote.
[b] Lynw. ad Constitut. de poenis v. Metropolitani.
[c] Distinct. 21. c. 1. Lynw. ad Constitut. 1. de Constit. v. Coepiscopi.
[d] De officio Ordinarii in 6. c. 1.
[e] Distinct. 25. c. 1. Extr. de officio Iudicis ordinarii c. Conquerente eod. tit. in 6. c. cum Episcopus.
[f] Distinct. 25. c. 1.
[g] C. eod. v. ad Presbyterum.
[h] De Consecrat dist. 1.
[i] Lynw. ad c. 2. v. Synodis de officio ordinarii, & ad c. statutum v. Synodali de consuetudine.
[k] Extr. de Censibus c. cum Apostolus &c. Procuratores § Porro & eodem tit. c. 1. in 6. Caus. 10. q. 1. c. Placuit.
[l] Duaren de Benefic. l. 1. c. 9. Cucchi Instit. l. 1. tit. 3. Antiq. Britann. fol 36.

SUb Gubernatore Summo alii praesunt cum Dignitate Seminentiori veluti [a] Archiepiscopi qui aliorum Episcoporum Praesules, Primates, & [b] Metropolitani dicuntur, & [c] Episcopi quibus Civitates cum Dioceesi subjiciuntur qui Archiepiscoporum [d] Suffraganei appellantur. [e] Penes hos est potestas Pueros confirmandi, sacros ordines Diaconatûs & Presbyteratûs conferendi; [f] Diaconatus ex quo cõcessum est officia divina legere Prædicare et Presbyteris vel Sacerdotibus celebrantibus assistere, [g] Presbyteratus ex quo potestas confertur non solùm divina peragere & Prædicare sed etiam Sacramenta administrare, [h] Ecclesias consecrandi, [i] Synodos Provinciales & Dioceesanas convocandi, Clerum & populum sibi subditum [k] visitandi, & ea quæ ad Iurisdictionem Ecclesiasticam spectant exercendi. In Ecclesiâ Anglicanâ [l] Primatum obtinet Archiepis-

corpus

copus Cantuariensis, cui [m] Statuto regni Canonum & Legum Ecclesiasticarum per omnia Anglici imperii Dominia ex causis gratiam facere, sive [n] in omnibus verbo Dei non repugnantibus dispensare, & quæ in Curiâ Romanâ obtinere solebant, indulgere concessum est. Reliqui Episcopi in suis Dioecesibus [n] Licentias Concionatoribus, [o] Curatis, [p] Ludimagistris, [q] Medicis, Chirurgis & Obstreticibus concedunt. Etiam ex causis Legitimis veniam [r] vescendi carnibus in diebus jejuniorum, [s] celebrandi matrimonium temporibus prohibitis vel absq; bannis indulgent. Atq; hæc quæ ad Iurisdictionem spectant Archiepiscopi & Episcopi per se vel Deputatos agunt, qui [t] Vicarii Generales dicuntur cum ad Vniversitatem causarum Iurisdictionis voluntariæ, Officiales Principales cum ad Vniversitatem causarum Iurisdictionis contentiosæ, cum ad utramq; Cancellarii, & cum ad certas causas, vel ad certam partem Dioeceseôs Deputantur, Commissarii appellantur. Deinde inter Personas Ecclesiasticas autoritatem cum Dignitate obtinent Decani & Canonici qui Capitulum constituunt qui Cathedralibus sive majoribus Ecclesiis præficiuntur; E quibus [u] Decani sunt qui Canonicorum Collegio præsunt, & Archipresbyteris urbanis successisse videntur. [x] Canonici sunt qui in Cathedrali vel Collegiatâ Ecclesiâ jus Canoniæ vel Præbendæ obtinent. E quibus alii per se Dignitatem habent, ut [y] Thesaurarius qui pecuniarum & bonorum Ecclesiæ custodiam habet. Et [z] Præcentor qui modum cantandi in choro pro solennitate & tempore ordinat; aliiq; prout est Ecclesiæ consuetudo: Vniversi [b] Capitulum constituunt, cum cujus consilio Episcopus majora negotia expedire debet. Præter hos sunt [c] Archidiaconi qui in certis Dioeceseos regionibus

m 25. H. 8. c. 21.

n Io. de Ath. ad Constit. de consecrat. Ecclesiæ v. absq; licentia.

o Lynw. ad c. 1. v. Dioecesano de Hæreticis constit. nov. 49.

p Constit. nov. 48.

q Extr. de Magistris c. 2. & seq. Constit. nov. 77.

r Constit. provinc. de Pœnitentiis c. cum Anima.

s 5. Eliz. c. 5.

t Lynw. ad c. 1. v. speciali licentia de clandestina desponsatione.

u Extra v. de offic. Vicarii Lynw. ad c. 1. de Constit. v. officiales 32. H. 8. c. 15.

x Lynw. ad c. 1. de Iudiciis v Decani & ad c. 1. de rebus Ecclesiæ non alienand. Barbos. de Canon. & dignitat. c. 6. *y* Extr. de Præbendis c. Dilectus. Linw. ad c. 1. de Pœnitentiis v. Canonici Barbos. eodem. c. 1. *z* Barbos. l. eod. c. 8. *a* Idem lib. eod. c. 9. *b* Extra. de rescriptis c. capitulum & ibi Panorm. Lynw. ad c. 1. de Constitut. c. Capitulis. *c* Extra. de offic. Archidiaconis Constit. Othonis & Provinc. Eodem tit.

Iurisdictio-

Iurisdictionem cum Dignitate obtinent, eamq; vel prout compositione expressam habent, vel diuturno usu prescripserunt, per se vel officiales suos exercent. Sub Archidiaconis etiam constituuntur [d] Decani rurales qui olim Archipresbyteri rurales dicebantur, & eam autoritatem habent quam Episcopus eis dare voluerit. Deniq; in singulis Parochiis sine Dignitate & Iurisdictione [e] Rectores constituuntur, quibus Ecclesiæ curandæ regendæq; committuntur. Et in foro pœnitentiæ Ligandi absolvendiq; potestatem habent. Cum verò frequenter eveniat Clericos necessariis causis impeditos non posse suis officiis superesse, alicubi [f] Vicarii constituti sunt, qui in Divinis Rectorum vices subeunt.

d Extr. de offic. Archipresb. c. ultimo.
e Extra. de vita & honestate cleric. c. 3. Barbos de offic. & potestate Parochi. c. 1. Lynw. ad c. Nullus de Consuetudini v. ipsorum Rectorum.
f Extr. de offic. vicarii c. 3.

SECT. 4.

De Plebe Ecclesiastica.

Plebs Ecclesiastica sunt qui Gubernatoribus subjiciuntur, Parochiani scilicet qui per singulas Parochias distributi; è quibus alii peculiari ratione ad Ecclesiam referuntur, ut Patroni Oeconomi & servientes, alii generaliter ad Ecclesiam Parochialem pertinent, quod intra eius limites degunt.

PErsonæ singulæ etiã privatæ sicut reipublicæ ita etiam Ecclesiæ membra sunt & prout in diversas [a] Parochias distribuuntur Parochiani appellantur. Parochiani verò sunt populus scilicet qui ad Ecclesiam aliquam Parochialem pertinent, Ex quibus alii peculiari relatione, alii communi duntaxat ad Ecclesiam spectant.

Peculiari relatione primùm [b] Patroni qui Ecclesiam construxerunt, vel terram eidem in dotem concesserunt, vel saltem in jus eorundem qui construxerunt vel dotaverunt

a Const. 13. q. 1. Extra. de Paroch. c. 4. & c. fin. Constit. Provinc. eod. tit.
b Extrav. de Jure Patron. c. nobis fuit.

runt ſucceſſerunt. Secundò [c] Oeconomi qui ad Eccleſiæ bona tuenda & negotia procuranda quotannis à Rectore vel Vicario & Parochianis ſeu majori parte eorundem deliguntur. Tertiò Servientes Eccleſiæ veluti [d] Æditui [e] Aquæbajuli & Oſtiarii, quibus claves Eccleſiarum, Librorum & Veſtimentorum cuſtodia, campanarum pulſatio & alia hujuſmodi à Rectore vel Vicario committuntur. Communi duntaxat relatione ad Eccleſiam referuntur reliqui Parochiani qui expertes alicujus muneris vel officii intra Parochiam ſive certos limites Eccleſiæ deſignatos habitant, vel domicilium habent.

[c] Lynw. ad c. Præterea de Clericis non reſident. v. Oeconomos. duar. de benef. l. 1. c. 19.
[d] Duaren. c. eod.
[e] Extr. de vita & hon. cler. c. 3. Conſtit. Prov. de Conceſſ. Præb. e. à noſtris & ibi Lynw. Conſtit. no. 91.

SECT. 5.

De Rebus Eccleſiaſticis, & de Dominico ſacro.

Res Eccleſiaſtica ſunt quæ ad cultum divinum comparatæ ſunt, & quibus aliæ ſacræ ſunt, ut Eccleſiæ, altaria, ornamenta & alia divino cultui dicata; aliæ ſacris annexæ, ut Commoda & Beneficia quæ pro officiis divinis competunt; aliæ merè temporales, quæ ſecundum ius Eccleſiaſticum poſſidentur. & quibus alia ad Gubernatorem Summum, alia ad Gubernatores inferiores, alia ad Plebem Eccleſiaſticam vel Parochianos pertinent. Ad Gubernatorem ſummum ſpectat Dominicum Sacrum, id id eſt ius conſueta commoda à beneficiis & perſonis Eccleſiaſticis percipiendi.

SIcut Perſonæ ita & Res ad Communionem Eccleſiaſticam pertinent, præcipuè [a] Res ſacræ quæ Deo ritè dicatæ ſunt. Veluti [b] Eccleſiæ quæ vel majores ſunt, ut

[a] Inſtit. Iur. l. 2. tit. 1. §. 8.
[b] C. de ſanctis Eccleſiis. Lynw. ad c. Altiſſimus. de ſumma Trinit. v. in minor. Eccleſ. & ad c. Quam ſit honeſtum. de celebrat. miſſarum v. Capellis.

Cathedrales in quibus Episcoporum sedes Collegiatæ, in quibus certus personarum Ecclesiasticarum numerus constituitur. Vel minores ut Parochiales & Capellæ in quibus divina officia populo intra certos limites habitanti peraguntur. Item altaria, vasa, vestes, & alia quæ divino cultui inserviunt. Deinde [c] Res sacris annexæ ut Commoda, Beneficia & Possessiones Ecclesiasticæ, quæ ex concessione vel donatione piâ provenerunt. E quibus quæ [d] prioris generis sunt, omnino extra commercium sunt, & à prophanis usibus alienæ esse debent: Reliquæ etiam à [e] collectis & tributis secularibus immunes esse consueverunt. Vnde [f] statutum quod nullus venetur in parco, nec piscetur in vivario, nec veniat ad comedendum vel pernoctandum in domo vel manerio alicujus Prælati, nec frumentum vel victualia ejusdem colore venditionis aut aliter asportet, nec equos, boves, plaustra vel naviculas ad portandum aliquis capiat ablq; ejusdem consensu.

In Dominico sacro sive Commodis Ecclesiasticis quæ ad Regiam Majestatem pertinent habentur Ius Episcopos & Decanos nominandi. Nam Rex Angliæ de jure omnium Beneficiorum Ecclesiasticorum Patronus supremus habetur. Vnde nemo ad Episcopatum promovetur nisi postquam Rex eligendi veniam concesserit, & cui post Electionem ipse adsensum Regium adhibuerit, quod non solum [h] statutis regni confirmatum, sed etiam Saxonum tempore uti [i] Ingulphus Croylandensis, & prout [k] Cancellarius Angliæ ad Philippum Regem Galliæ Literis retulit, hoc jure Reges Angliæ ab omni ævo usi sunt. Eodem modo [l] decanatus antiqui à Rege disponuntur, Recentiores verò, quos Henricus octavus Abatiis suppressis erexit, literis Regiis immediatè conferuntur. Deindè ad Regiam Majestatem spectat [e] Vacantium Episcoporum fructus temporales ad usum proprium percipere; ita tamen [f] ut destructionem res ipsæ non patiantur. Tertiò vigore

c Panorm. & dd. ad c Consulere extr. de simonia.
d De immunitate Ecclesiæ in 6. c. decet.
e L. Sancimus C. de sanctis Ecclesiis extr. de immunit. Ecclesiæ c. nõ minùs & c. adversus.
f 3. Ed. 1. c. 1. 4. Ed. 3. c. 3.
g Nomotech. D. H. Finch. l. 4. c. 4.
h 25. Ed. 3. c. 25. 25. H. 8. c. 20.
i In historia &D. Spelmãnus in Glossario v. Investitura per baculum & annulum.
k Ægidius Magister de Regaliis Tract. dd. tom. 13.
l Cowel. Interp. v. Deanc.

e Constit. Prov. de Imunitate Ecclesiæ. c. Contingit. Durr. de Benef. l. 3. c. 11.
f Magn. chart. c. 5. 14. Ed. 3. c. 4. & 5.

statuti

ſtatuti Regiæ Majeſtati debentur Annates ſive [g] Primitiæ cujuſcunqué Beneficii Eccleſiaſtici poſt vacationem, & decimæ perpetuæ omnium beneficiorum, quas etiam Papa [h] Vrbanus Richardo ſecundo, ut ipſum contra Carolum Regem Galliæ adjuvaret, conceſſiſſe perhibetur. Quartò ad Regem ſpectant ſubſidia Eccleſiaſtica ſive Contributiones quæ fiunt ab Epiſcopis & Clericis in Convocatione congregatis [i] ex gratâ recognitione pro pio regimine & protectione, neceſſitate aut utilitate publicâ exigente. Etſi enim res Eccleſiaſticæ à cenſu vel collectis poteſtatum ſecularium liberæ redduntur, [k] ſi tamen ſit in republicâ neceſſitas vel utilitas ſubſidia Eccleſiaſtica deneganda non ſunt.

g 26. H. 8. c. 3. 27. H. 8. c. 8 & 17. 1. Eliz. c. 4.
h Polydor. Vergil. Anglic. Hiſt. l. 20.
i 35. H. 8. c. 28 7 Ed. 6. c. 13. 2. & 3. Phil. & Mar. c. 22. 5. Eliz. c. 24.
k Extr. de immunit. Eccleſiæ c. 2. Lanc. Inſtit. eod. tit. § ſi tanta.

SECT. 6.

De *beneficiis Eccleſiaſticis.*

Beneficia Eccleſiaſtica ſunt Poſſeſſiones & jura Clericis pro ſuſtentatione divini cultus conceſſa: ſuntq́, vel ſuperiora ut Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Decanatus, Archidiaconatus, & Præbendæ, vel inferiora ut Beneficia Parochialia, Rectoriæ ſcilicet & Vicariæ.

SIcut Beneficia militaria militibus ob fidem & obſequium; ita [a] Eccleſiaſtica Beneficia ob functionem ſacram Deo conſecratis conceduntur. Et in his alia [b] eminentiora ſunt ut Archiepiſcopatus & Epiſcopatus, quibus jura [c] cùm ſpiritualia tùm temporalia competunt. Spiritualia ut primùm [d] Beneficiorum collatio, deinde [e] Cenſus ſive Cathedraticũ quod in ſynodis ab Eccleſiis ſubjectis Epiſcopis perſolvitur, & [f] Procurationes quæ Provin-

a Duar. de benef. l. 2. c. 4.
b Garſias de benef. p. 1. c. 6. nu. 37. & 38.
c Gregor. de benef. c. 6. Steph. de Iurid. l. 4. c. 14.
d Caus. 16. q. 7. c. omnes Baſilicæ. *e* Caus. 10. q. 3. c. 1. Extr. de off. ordin. c. Conquer. ſibus c. cum Apoſtolus, & c. cum venerabilis.
f Extr. de Cenſibus c. cum venerabilis.

ciam vel Dioceſin viſitantibus pro ſumptibus neceſſarii[g] præſtantur, item [r] charitativum ſubſidium, quod cùm manifeſta aut probabilis cauſa exiſtit poteſt Epiſcopus à ſubditis ſuis impetrare. [h] Temporalia ſunt Palatia, prædia, poſſeſſiones & jura quæ ex Principum aliorumq; liberalitate devenerunt.

Poſt Archipiſcopatus & Epiſcopatus Beneficia etiam illuſtria ſunt Decanatus cum Præbendis, & Archidiaconatus. E quibus [i] Decanatus & [k] Præbendæ ſunt Poſſeſſiones & jura quæ ad Decani & Canonicorum ſuſtentationem conceduntur: quæ ita ut plurimum diſtinguuntur ut Decanus ſuam partem jure Decanatus ſeorſim habeat, & ſinguli Canonici ſuas partes in jure Præbendarum, [l] reliquum Decani vel Capitulum in ſimul vel communitèr obtineant: ex quo quod inter ſingulos annuatim quaſi ex ærario communi dividitur Canonica portio, quod in ſingulos dies aut menſes erogatur quotidiana diſtributio dicitur. Archidiaconatus item ſunt Poſſeſſiones & jura quæ Archidiaconis ſunt conceſſa, ut plurimum Prædium vel Beneficium dignitati annexum, & [m] Procurationes ſive ſumptus neceſſarii qui ob viſitationem penduntur.

Denique pro ſuſtentatione aliorum Clericorum Beneficia Parochialia comparata ſunt. Rectoriæ ſcilicet & Vicariæ è quibus ad Rectoriam, ſi ſit integra, præter domicilium & fundos qui [n] glebæ nomine continentur, & quaſi in dotem conſtituuntur, debentur [o] decimæ tàm perſonales quæ ex proventibus cujuſque induſtriæ, utpote ex negotiatione & artificio procedunt, quàm ex fructibus prædiorum, fœni ſcilicet & frumenti, & fœtu animalium proveniunt. Item [p] Oblationes quæ ad altare offeruntur, & Obventiones aliæ, ut quæ pro infantibus baptizandis, pro nuptiis benedicendis, pro agendo gratias cum puerperis, pro mortuis ſepeliendis, & ſimilibus, de conſuetudine percipiuntur. Quibus etiam accenſendum quod pro defunctis nomine [q] Mortuarii præſtandum eſt. Si verò à Rectoriâ Vicaria perpetua diſtincta ſit, Vicariæ

g Eod. c. cum Apoſtolus § Prohibemus.
h Duar. l. 2. c. 2.
i Extr. de Præbendis c. cum ſecundum Apoſtolum Barbos. de dignit. c. 12.
k Lynw. ad c. Eſurientis de Conceſſ. Præbend. v. Præbenda.
l Nomotech. l. 4 c. 4.
m C. eod. cum Apoſtolus & conſtit. Othob. de Procurationibus.
n Lynw. ad c. Licet. de Eccleſiis ædif. v. gleba.
o Ext. de decimis, Provinc. conſtit. eod. tit. & ibi c. quoniam propter.
p Cauſa 10. q. 1. c. Quia ſacerdos. Lynw. ad c. ſtatutum. de Conſuet. v. Oblationes.
q Conſtit. Prov. de Conſuetud. c. per ſtatutum.

riæ ex fructibus & proventibus Parochialibus [r] congrua portio aſſignatur, ut plurimùm majoribus decimis fœni ſcilicet & frumenti Rectoriæ reſervatis, minores decimæ, veluti quæ ex animalibus proveniunt, nec non hortorum decimæ, cum oblationibus & obventionibus, vel aliás ſicut dotatione vel præſcriptione conſtitutum fuerit.

Et de his quæ ad Beneficia Parochialia ſpectant etiam ſtatutis regni cautum eſt, primò [s] quoad decimas Perſonales quòd quilibet mercaturam aut aliquod artificium in locis in quibus intra quadraginta annos decimæ perſonales perſolvi conſueverunt in feſto Paſchatis decimas Lucri deductis expenſis debitè perſolvat. Item quod quilibet decimas [t] Prædiales in ſpecie ſecundum conſuetudinem loci exhibeat, & à Rectore vel Vicario aſportari ſinat. Et quod is qui animalia habet quæ in locis communibus paſcuntur qui certæ parochiæ non ſunt, decimas ſolvat Rectori vel Vicario ubi habitat. Si verò terræ [u] ſterriles & incultæ in prata aut agros arabiles converſæ fuerint, poſt terminum ſeptem annorum decimæ fœni & granorum præſtentur & eo durante ſpatio ejuſmodi decimæ quales antè culturam præſtari conſueverunt. [x] Quòd ſi quis grandes arbores, quæ ultrà ſpatium viginti annorum excreverunt, exciderit, ad decimas non teneatur. Deinde quoad [y] Oblationes etiam ſtatutum quòd omnes debitè perſolvant temporibus conſuetis, aut ſaltem in feſto Paſchatis. Et [z] quoad Mortuaria, quòd exigantur in Locis duntaxat ubi perſolvi conſueverunt, ab iis ſcilicet qui in bonis habent, ære alieno deducto, ultra decem marcas, ſex ſolidi & octo denarii; ab iis qui habent ultra quadraginta libras decem ſolidi, nec quicquam ulterius quantumcunque habuerint.

r Rebuff. in praxi benef. de vicariis Nu. 21. Lynw. ad c. Quoniam de off. vicarii v. quinque marcarum.

s 2. Ed. 6. c. 13.

t Ibid.

u Ibid.

x 45. Ed. 3. c. 3.

y 37. H. 8. c. 2.

z 21. H. 8. c. 16.

SECT. 7.

De Iuribus Parochialibus.

Iura Parochialia sunt quæ ad Plebem Ecclesiasticam sive Parochianos spectant. Eaq; vel peculiaria ut Ius patronatus quod Patrono, & Stipendia quæ ministris sive servientibus Ecclesiæ competunt, vel generalia, ut Commoda quæ universis, quatenus Parochiani sunt, debentur.

NOn solum Gubernatores, iiq; qui sacris ordinibus initiati sunt ad commoda Ecclesiastica jus habent, sed & Laicialii, qui peculiari aliquâ relatione ad Ecclesiam referũtur & Parochiani reliqui qui intra terminos alicujus Parochiæ constituti sunt. Prioris generis sunt qui [a] jus Patronatus vendicant, & quibus stipendia pro ministerio debentur. Ius Patronatus est jus præsentandi Clericum idoneum Ecclesiæ vacanti ut ab Episcopo canonicè instituatur: cujusmodi jus aliquando Feudo nobili quod manerium dicitur [b] appendet, aliquando pro hæreditamento est, & seorsim habetur. Ejus etiam Comodum est quòd [c] potior locus in Ecclesiâ Patrono debetur. [e] Stipendia sunt quæ non ratione divini officii, sed pro labore aliquo temporali benè meritis de Ecclesia, ex rebus Ecclesiasticis conceduntur. Vtpote Advocatis, Procuratoribus, Puerorum informatoribus Ædituis, & aliis Ecclesiæ servientibus. Deniq; commoda & jura quæ generaliter [f] universis Parochianis competunt, sunt in Ecclesiâ Parochiali divina officia participare, concionibus interesse, Sacramenta percipere, & alia quæ ad communionem religiosam spectant exercere, & deniq; more Christiano sepeliri.

a Extr. de Iure patronatus. Const. Provin. eodem tit.

b Cowel. in v. Advowsen.

c Extr. de Iure patronat. c. Nobis.

e Caus. 12. q. 2. c. Quinque.

f Extr. de Parochiis & ibi d. d. caus. 13. q. 2. ubicunq; & sequ.

SECT.

SECT. 8.

De *Officiis Eccleſiaſticis*, & de *Officio Gubernatoris ſummi.*

Officia Eccleſiaſtica ſunt quæ ad Religionem tuendam, pro Commodis & Beneficiis Eccleſiaſticis præſtanda ſunt. E quibus alia ad Gubernatorem ſummum, alia ad Gubernatores alios, alia ad plebem Eccleſiaſticam pertinent. Gubernatoris ſummi officium eſt fidem Catholicam & diſciplinam Eccleſiaſticam tueri, nec-non Privilegia cùm perſonis tum rebus Eccleſiaſticis indulta conſervare.

IN Politiâ ſacrâ pro commodis quæ quiſq; percipit quædam præſtanda ſunt, undè ad Principem ſivè Gubernatorem ſummum qui Defenſor fidei conſtituitur, ſpectat [a] doctrinam & diſciplinam Eccleſiaſticam munire; quia cùm Eccleſiam à Chriſto tuendam ſuſcepit, ſivè augeatur pax & Diſciplina Eccleſiaſtica, ſivè ſolvatur, ei rationem redditurus eſt, qui ejus poteſtati Eccleſiam ſuam tradidit, undè conſuevit [b] ubi cenſuræ Eccleſiaſticæ non ſufficiunt brachium regium & ſeculare impertire. Et ſemper proſpicere, [c] ut Eccleſia ſit libera, & omnia jura & privilegia integra & inviolata retineat.

a Duar. l. 1 c. 5. cauſ. 23. q. 5. c. Principes.
b Cauſ. & q. eadem per totam. Conſtit. Provin. de immunit. Eccleſiæ c. ſeculi Principes.
c Chart. Mag. c. 1.

SECT. 9.

De *Officiis Gubernatorum inferiorum.*

Officia Gubernatorum aliorum in ſollicitudine paſtorali & animarum curâ conſiſtunt. Sollicitudo Paſtoralis eſt quam prælati in iis quæ ſunt ordinis & juriſdictionis exercendis adhibere tenentur. Animarum cura in iis ponitur

tur quæ pro salute Parochianorum Rectores & Vicarii in functionibus sacris observare debent.

CVm omnibus pro beneficiis officia incumbant, tum graviora iis qui majora beneficia obtinent. Vtpote [a] Prælatis quorum est sollicitudo pastoralis, quâ ea quæ sunt Ordinis & Iurisdictionis continentur. Et inter ea quæ sunt ordinis habentur puerorum confirmatio, Sacrorum ordinum collatio & Ecclesiarum consecratio. [b] Puerorum confirmatio est cum parvulis baptizatis & in Catechismo religionis Christianæ instructis Episcopus cum impositione manuum & precibus benedicit, quod prout antiquitùs fieri consuevit in Episcopali visitatione quolibet triennio fieri præcipitur. Sacrorum ordinum Collatio est Diaconorum & Presbyterorum ordinatio ex quâ sacra munia obeundi potestatem habent, quæ etiam [c] impositione manuum, precibus, aliisq; solennibus secundùm ritus publicâ autoritate editos peragenda est. Et Huiusmodi ordines regularitèr conferendi sunt [d] in quatuor anni temporibus in quibus jejunia indicuntur, nec [e] eadem persona eodem die ad duos sacros ordines pro moveri debet. Et requiritur quòd ut quis Diaconus fiat sit [f] ætatis 23. & ut Presbyter 24. annorum, [g] graduatus in aliqua universitate, aut qui Latinè reddat rationem fidei secundum articulos publica autoritate editos. Item ut [h] Locum aliquem habeat in quo officium exerceat, vel saltem sit socius vel Capellanus alicujus Collegii, vel Magister Artium quinq; annorum, qui de proprio vivit. Ordinationem etiam præcedere debet [i] examinatio & [k] subscriptio Articulis de Maiestate Regiâ, Liturgiâ Anglicanâ & Articulis Religionis aliáq; observanda quæ Libro Ordinationum publicâ autoritate præscribuntur. Tertiò Ecclesiarum [l] Consecratio est cùm ædes divinis usibus ab Episcopo rite di-

catur

a Extr. de offic. Ordinarii, constit. Othon. de off. Archiep. & Epis.
b De consecrat. distinct. 5. c. 12. ext. de sacra unct. c. unic. constit. nov. c. 60.
c Extr. de sacramentis non iterandis c. ult. constit. nov. c. 32.
d Extr. de Temper. ordin. c. sanè. Constit. nov. c. 31.
e Extr. Eod. c. dilectus.
f Distinct. 77. c. in singulis. Clement. de ætate c. fin. 13. Elis. c. 12. Constit. nov. c. 34.
g Constit. nov. c. 34.
h Extr. de Præbendis c. cum Eamus. Constit nov. c. 32. constit. Othó de scrutinio. Et ibi Atho. ad v. titulo. constit. nov. 34.
i Definit. 24. c. quando. extr. de scrutinio c. unico. constit Prov. eod.
k 13 Elis. c. 12 constit. nov. c. 36.
l De consecrat. dist. 1. c. Eccles.

dicatur. De quo [m] cum semel constiterit, non est iterum consecratio adhibenda nisi incendio, aut ruinâ desecratæ fuerint. Ratione jurisdictionis ad solicitudinem Pastoralem pertinet, Primùm [n] Synodos convocare. Estque Synodus vel Provincialis quæ, à Metropolitano; vel Diocesana, quæ ab Episcopis convocari consuevit, cum de Negotiis Ecclesiasticis majoris momenti deliberandum erat. Secundò subditos [o] visitare, cujusmodi visitatio est de excessibus & defectibus in Ecclesiasticis reformâdis Solênis inquisitio, eaque vel [p] Metropolitica, quæ ab Archiepiscopo, vel Episcopalis, quæ ab Episcopo secundum consuetudinem instituitur. Tertiò Facultates & Licentias concedere. Suntque [q] Facultates & Licentiæ Dispensationes & Potestates quæ ab Archiepiscopis vel Episcopis ex causis necessariis, interpositis Iuramentis & cautione fide jussoriâ, aliisque de Iure requisitis observatis, conceduntur. Atque hæc ad solicitudinem Pastoralem spectant præterea quæ in constituendis beneficiis, præsentatis admittêdis, & quæ in Iudicio vel foro contentioso expedienda sunt.

In auxilium etiam & subsidium sollicitudinis Pastoralis comparata sunt officia Decanorum & Canonicorum nec non Archidiaconorum & Decanorum Ruralium. Et primò [r] Decanorum officium est curare ut in Ecclesiis Cathedralibus Sacerdotes divina officia debitè celebrent, & ut alii munia ritè obeant, omnesque vitam honestè instituant. Canonicorum est ministeria ipsis assignata adimplere, & cum Decano in Capitulo [s] Episcopo in negotiis Ecclesiæ pertractandis consilium & auxilium præstare. Item in Ecclesiis Cathedralibus conciones habere. [t] Archidiaconi est Clericos ad ordines promovendos examinare, Clericorum item moribus prospicere, & in regione sibi commissâ inquirere, & quæ correctione egent corrigere, vel si graviora sunt ad Episcopum deferre.

[u] Decani Ruralis est officium, Clerum in plebaniâ suâ

m Distinct. ead. c. 20.
n Lynw. ad c. statutum de Consuet. v. Synodali.
o Caus. 10. q. 1. c. decernimus c. episc. & c. placuit extr. de sensibus c. Procurationes, in fine.
p De sensibus in 6. c. 1. 5 ex quo.
q Linw. ad c. 1. de Clericis peregrinis v. Licentia Diocesani, & ad c. Religiosi de testam. v. Licentia.
r Distinct. 25 c. 1. ext. de off. Archipresbyt. c. ministerium.
s Extr. de his quæ fiunt à Prælatis c. novit.
t Constit. nov. c. 42. 43. 44.
u Distinct. 25 c. 1. extr. de off. Archid c. ad hæc & seq. constit. Prov. eod. tit. *x* Extr. de off. Archipresbyt. c. fine.

convocare, quæ Episcopus ei mandaverit aliis significare, & alia exequi quæ Episcopus ipsi permiserit.

[y] Animarum cura & officium quæ Rectoribus & Vicariis in suis parochiis incumbit, requirit, Primò ut [z] intra duos menses post inductionem ad Beneficia publicè in Ecclesiis suis tempore divinorum Articulos Religionis legant, eorumq; assensum iisdem profiteantur: deinde, Ut in diebus Dominicis, festis aliisq; constitutis [a] divina officia secundum formam præscriptam in Liturgiâ sacris vestibus & habitu gradui competenti peragant. Item ut diebus Dominicis pueros [b] in Catechismo erudiant, & confirmationi aptos faciant, & ut quolibet die Dominico, si ad concionandum licentiati fuerint, [c] concionem habeant. Vel si Licentiati non sint, quolibet mense per alios concionem habendam procurent, & cum conciones defuerint homilias in Ecclesia Anglicana approbatas legant. Præterea ut secundum præscriptam formam Liturgiæ Anglicanæ, [d] Sacramenta Baptismi & Cœnæ Dominicæ debitis temporibus administrent, [e] matrimonia celebrent, pro puerperis gratias agant, [f] ægrotos visitent & [g] defunctos sepeliant, & [h] registrum eorum qui baptizati sunt, qui matrimonium celebrarunt, & sepulti sunt in Parochiâ, custodiant, & similia: atq; hæc specialia sunt quæ ad Gubernatores cum in dignitate tum sine dignitate constituti proprie spectant: ad officium omnium communiter pertinet [i] in Beneficiis suis temporibus debitis residere, & [k] Ecclesias quantum de Iure aut consuetudine ipsis incumbit, nec non domicilia ad beneficia pertinentia sarta tecta conservare.

y Lynw. ad c. Audistis. de Præbend. v. animarum cura.
z 13. Elis. c. 12.
a Constit. Provin. de majoritate & obed. & ibi Lynw. & in v. Parebant.
b Constit. nov. c. 59. & 61. Barbos. de offic. Paroch. c. 15.
c Constit. Provin. de off. Archipresb. c. ult. & constit. nov. c. 45. & 46. Barbos. de offic. Paroch. c. 14.
d 1. Elis. c. 2. Constit. nov. c. 68. & 69. Barbos. c. 20.
e Constit. nov. c. 62.
f Constit. Prov. de offic. Archipresb. c. ult. & constit. nov. c. 67.
g Ibid. c. 68.
h Ibid c. 70.
i Extr. de Clericis non resident. 21. Hen. 8. c. 13. Constit. Othonis. *Improbam.* constit. nov. c. 42. 43.
k Linw. ad c. 1. de Ecclesiis ædific. v. domos Ecclesiæ & v. defectus.

SECT.

SECT. 10.

De Officiis Parochianorum.

Officia Parochianorum ſunt quæ ad cultum divinum à Parochianis præſtanda ſunt. Eaq; vel propria, ut quæ à Patronis, Oeconomis & aliis Eccleſiæ ſervientibus, vel communia quæ ab omnibus obſervanda ſunt.

PRo Commodis quæ in Communione Eccleſiaſticâ Parochiani percipiunt ipſi etiam ad munia & officia Eccleſiaſtica aſtringuntur. Et primò tenetur Patronus qui & Advocatus Eccleſiæ dicitur, ejus [a] tutelam ſic ſuſcipere, ut quoad poſſit eam ab omni injuriâ tueatur, & ſi Presbyterum in eâ inſtitutum inutilem eſſe cognoverit Epiſcopo denuntiare. Deinde [b] ad Oeconomos ſpectat proſpicere quòd Eccleſia ſarta tecta & decentèr ornata ſit, quòd omnia ad divina officia conciones & ſacramenta neceſſaria comparentur, quòd cœmiterium ſit honeſtè clauſum, quod glebæ Eccleſiæ ſit exacta deſcriptio, quod bonorum aliorum perfectum inventarium fiat, & quod adminiſtrationis ſuæ, cum requiſiti fuerint, rationem reddant. Aliorum eſt qui Eccleſiis deſerviunt pro conditione Loci quem obtinet, & conſuetudine, quæ ad ipſos ſpectant, facere & procurare. Atq; hujuſmodi ſunt officia quorundam Parochianorum propria; omnium communia ſunt ea quę generaliter ad Pietatē & Charitatem Chriſtianam ſpectant, exercere. Et ad pietatem ſpectat tempora [c] jejuniis & divinis officiis deſtinata prout decet obſervare, [d] Jejuniis ſcilicet, utpote dies, dies Dominicos & feſtos præcedentes, nec-non quadrageſimam & alia ſolennia, quò magis ad divina officia parati ſint, ab eſu carnium abſtinendo. Deindè divinis officiis deſtinata, utpotè [e] Dies Dominicos & alios dies feſtos in memoriam Salvatoris, Beatæ virginis, Sanctorum Apoſtolorum & Evangeliſtarum

a Cauſ. 10. q. 7. c. filiis.

b Conſtit. nov. c. 80. & ſequent. conſtit. 89 & 90.

c Extr. de Obſervat. jejuniorum.

d 5 & 6 Ed. 6. c. 3.

e Extr. de feriis c. ex ſcripturis Conſtit. Prov. cod. tit. Lynw. ad c. 1. de offic. Archipresb. v. ſanctifices & ſeq. 5. & 6. E. 6. c. 3.

rum à prophanis negotiis cessando, & ea quæ ad cultum Dei pertinent peragendo, utpote [f] Ecclesias Parochiales & Capellas usitatas frequentando, & ibi decenter permanendo, dum publicæ preces peraguntur, Conciones habentur, aut alia quæ conducunt ad cultum Dei, & [g] ter ad minimum in quolibet anno præcipuè in festo Resurrectionis in Parochiali Ecclesiâ communionem sacræ cænæ Dominicæ participando. Quæ conducunt ad reparationem Ecclesiarum (quarum naves de consuetudine à Parochianis unà cum iis qui possessiones intra Parochiam obtinent resarciendæ sunt, & alia necessaria comparando, contribuendo & similia. Ad opera Charitatis referuntur Bonorum ad publicos usus erogatio, [i] Eleemosynarum elargitio, quæ pro modo facultatum ad sublevandos pauperes exiguntur, & similia. Item inculpatè & sine scandalo vitam agere.

[f] 1. Elis. c 2 Constit. nov. c. 13.
[g] Constit. nov. c. 21.
[b] Constit. Prov. de Ecclesiis ædif. c. ut Parochiani Lynw. ad c. Archidiaconi de off. Archidiaconi v. Reparatione 43. Eliz. c. 2.

PARS SECVNDA

SECT. I.

De *Negociis Ecclesiasticis in specie, & de creatione Beneficii.*

NEgotia Ecclesiastica in specie sunt quæ ad certa quædam capita referuntur. Vtpote imprimis Beneficiorum Constitutio vel Creatio. Deindè Acquisitio, Contractus; & Delictum Ecclesiasticum.

Constitutio Beneficii est cum Ecclesiæ novæ sustentatio congrua in perpetuum assignatur. Quod etiam vnionem vel divisionem admittit. Vnio est cùm duo vel plura beneficia in unum rediguntur. Divisio est cum vnum in duo vel plura dividitur.

PRæter officia quæ Personis Ecclesiasticis pro commodis & beneficiis incumbunt, alia occurrunt, quæ ultro & cum aliis aguntur, quæ etiam Iure Ecclesiastico censenda sunt: in quibus ut præcipuum, ita primo considerandum Beneficii Creatio vel Constitutio. Beneficium

ficium verò creatur, cum in regione vacuâ Ecclesia fundatur & dote congruâ donatur, cujus fundatio[a] cum Episcopi consensu fieri debet, qui ad locum accedat ibiq; crucem figat, & atrium designet, & priusquam Ecclesiam ædificari patiatur de dote congruâ prospiciat: nec antea mysteriis sacris deputari sinat quàm ritè consecrata fuerit. Cathedralis verò Ecclesia & Collegiata, cujus membra corpus politicum constituunt, non sine[c] autoritate Regiâ construuntur. Terræ etiam vel fundi ne domini feodorum servitia & obventiones quæ aliquandò contingunt amittant, Ecclesiis vel Beneficiis Ecclesiasticis[d] sinè licentiâ Regis & Dominorum concedi nequeunt, nec cum concessæ fuerint in perpetuum[e] alienari aut impignorari nisi formâ canonis observatâ. Contingit etiam ut ex causâ rationabili unum Beneficium vel una Ecclesia alteri annectatur quæ[f] Vnio dicitur. Et causa rationabilis habetur cùm necessitas, ut si duæ Ecclesiæ adeò sint[g] pauperes ut earum proventus duobus sacerdotibus non sufficiant; tùm utilitas, ut cum[h] locorum opportunitas, vel temporis qualitas id exposcit, veluti cum Parochianorum numerus est imminutus. Deindè unio fit[i] tripliciter primò cum alterâ Ecclesiâ bello fortè vel incendio sublatâ, jura ejusdem alteri annectuntur. Secundò quando utrâq; Ecclesiâ remanente, unus utriq; æqualiter præficitur. Tertiò quando una Ecclesia vel unum Beneficium alteri subjicitur, ita ut id cui fit unio sit superius & principale, id quod unitur inferius & accessorium. Vt Capellania Ecclesiæ Parochiali, Ecclesia Parochialis Canonicatui Ecclesiæ Cathedralis. Vniri etiam possunt minora Beneficia ab Episcopo Dioceseos cum consensu Patroni. Episcopatus verò non nisi supremâ autoritate accedente. Deniq; quando Episcopatui, Decanatui & Capitulo, vel collegio alicui Beneficium unitur vel in proprios usus conceditur,[k] Appropriatio dicitur. Et de his, statutis ordinatum quòd unio & consolidatio duarum Ecclesiarum, five Capellæ & Ecclesiæ, quæ extra distantiam unius milliaris à se invicem

non

[a] Extr. de consecratione distinct. 1. c. Nemo. Caus. 1. q. 2. c. placuit.
[b] Auth. de Monachis c. 1. & Novell. 131. c. 7.
[c] Nomotech. 14. c. 4.
[d] Magn. chart. c. 36. 7. Ed. 1. 15. Ric. 2. c. 5. 23. H. 8. c. 10.
[e] Extr. de Rebus Ecclesiæ non alien. Constit. Prov. eod. ut.
[f] Extr. de excessibus Prælat. c. ficut.
[g] Extr. de Præbendis c. exposuisti.
[h] Caus. 16. q. 1. c. & tempo ris & c. postquam.
[i] Reb. in praxi Benef. de unione nu. 11. & seq.
[k] Constit. Othob de Appropriatione Ecclesiarum. Lynw. ad c. licet de locato & conduct. v. Appropriatio.

non existunt, & quarum altera non excedit valorem sex librarum in libris regiis, fiat cum consensu Ordinarii, Patroni & incumbentis; &, in villâ incorporatâ, etiam cum consensu majoris partis inhabitantium. Et quoàd Appropriationes faciendas in quibus regius assensus requiritur, [l] quòd in quâlibet Licentiâ in Cancellaria impetranda expresse declaretur quod Diocesanus Loci provideat congruam portionem pecuniæ annuatim solvendam ex fructibus pro sustentatione pauperum, & quòd sit Vicaria benè & sufficienter dotata. Sicut unionem, ita ex causâ rationabili pari autoritate Beneficia Divisionem admittunt, utpote [m] ob incrementum populi, vel cum pars Parochianorum adeò [n] distat à veteri Ecclesiâ ut aliquandò non sinè periculo vel cum magnâ difficultate accedere possint; quippè ex causis hujusmodi nova Ecclesia erigi potest. Et pro sustentatione Presbyteri pars proventuum assignari, ita tamen quod [o] à filiali Ecclesiâ matrici competens honor exhibeatur.

l 15. Ric. 2. c. 6.
m Caus. 16. q. 1. c. Præcipimus.
n Extr. de Ecclesiis ædific. c. ad Audientiam. Constit. Othonis & Othoboni ne Ecclesia una dividatur in plures.
o Constit. de oblationibus matrici Ecclesiæ restituendis. Io. de Atho. ad c. Improbam v. ad hoc tenentur § Aut Capella.

SECT. 2.

De *Acquisitione Ecclesiastica, & de Acquisitione Beneficii.*

Acquisitio Ecclesiastica est quæ Juri Ecclesiastico congruit, estq; vel Beneficii vel Juris alicujus in Beneficio, vel Successio in bonis defunctorum. Acquisitio Beneficii est quâ quis Beneficium consequitur, utpotè cum per Electionem, Collationem, Præsentationem vel Donationem admittitur. Et durat donec Renuntiatione, Recessu, Amotione vel Morte vacat.

DE Iure Ecclesiastico non minùs quam Temporali certi modi constituti sunt, quibus Personæ Ius in rebus adipiscantur. Et primò ad Beneficia quod attinet jamdiù

[a] jamdiù profligatâ Pontificis Romani potestate, quâ per modum Provisionis Beneficia conferebat, Maiora ut Episcopatus & Dignitates per Electionem acquiruntur. Estq; [b] Electio, cum quis omnibus vel pluribus suffragiis cooptatur; quæ fit vel [c] per Scrutinium cũ aliqui aliorum vota secretè in scriptis excipiant, vel vivâ voce, cum singuli cõsensum palàm exponunt, vel per [d] compromissum, cum universi in paucos eligendi potestatem transferunt. Electionem etiam regularitèr sequitur [e] Confirmatio, id est præhabitâ de modo Electionis & de personâ electi examinatione, à superiore approbatio. [f] Archiepiscopus electus ab alio Archiepiscopo & duobus Episcopis, sive à quatuor Episcopis authoritate Regiâ designatis. Episcopi verò ab Archiepiscopo, Iuramento fidelitatis primùm præstito, confirmantur. Sed & ut quis Episcopatum plenè consequatur [g] Consecratio requiritur, quæ secundum ritus præscriptos ab Archiepiscopo & duobus aliis Episcopis fieri solet. Alia Beneficia per Collationem & Institutionem conferuntur. Collatio est cum is, qui Ordinariam potestatem habet, Beneficium proprio Iure immediatè confert; ut Episcopus Beneficium quod ad dispositionem ipsius spectat. [i] Institutio est cum quis ad Præsentationem alterius, Patroni scilicet, ab ordinario ad Beneficium promovetur, quod intrà viginti octo dies fieri debet. Sed & aliqua [k] Donatione simplici, Patroni scilicet absque Institutione Ordinarii obtinentur. Vtpote Capellaniæ quædam fundatæ per Laicos, quæ manent in dispositione fundatorum.

Constitutum verò est [l] Ne filius succedat patri in Ecclesiâ, nisi cum eo dispensatum fuerit, & statutis cautum, primò quòdd nullus [m] Alienigena ad Beneficium admittatur, sine Licentiâ Domini Regis. Item [n] quòd nullus admittatur ad Beneficium curatum valoris triginta libra-

a 38. Ed. 3. statut. de Provis. c. 1. & 2.
b Extr. de electione.
c Extr. eod. c. quia propter.
d c. eodem.
e De electione in 6. c. quam tit.
f 25. H. 8. c. 20.
g Distinct. 100. c. quoniam & distinct. 75. c. quoniam.
h Extr. de concessione Præbendæ. constit. Prov. eod. tit. Clem. 1. de Præbendis Lynw. ad c. 1. de Iure jur. verb. Præsentatus.
i Extra de Iure Patron. Constit. Prov. de Institut. Lynw. ad 1. de v. Præsentatus.
k Gregor. Tholes. de Beneficiis c. 11.
l Constit. Othonis. Ne filius succedat patri. Constit. Prov. de filius Presbyt. c. 1.
m 3. Ric. 2. c. 3. 7. Ric. 2. c. 12.
n 13. Eliz. c. 12.

Lynw. ad c. 1. de cohabit. Cleric. & mulier. v. Beneficiali.

rum in libris Regiis, niſi Baccalaureus Theologiæ aut Concionator publicè approbatus, nec ad quodvis aliud Beneficium curatum niſi Diaconus fuerit ætatis ad minimùm 23 annorum.

Deinde [p] requiritur quòd quiſq; priuſquam ad Beneficium admittatur ſubſcribat articulis Religionis, & tribus Capitulis in 36. Canone contentis. Item [p] juramentum de Primatu Regis & juramentum [q] Allegiantiæ ſive fidelitatis, & quòd [r] Simoniam non commiſerit, nec non de [s] Obedientiâ Canonicâ præſtare debet; & ſi ad Vicariam ſit admittendus, quòd ibi [t] Reſidentiam faciet. Poſt confirmationem electionis, collationem, & Inſtitutionem promotus ad Beneficium in ejus poſſeſſionem [u] inducendus eſt; quod fit in Epiſcopatibus & Dignitatibus deducendo in Cathedram, vel aſſignando locum in Choro: in aliis Beneficiis, per ingreſſum Eccleſiæ, pulſationem campanarum, atque alias ſolennitates. Qui ita acquiſivit Beneficium, Incumbens dicitur; & ſic habetur, donec Beneficium vacet; quod [x] contingit primùm [y] Renunciatione ſive Reſignatione, quæ eſt Iuris ſui in Beneficio libera ceſſio vel dimiſſio, quæ verbis vel ſcriptis exponitur, & in manus ſuperioris, ejuſque cum conſenſu regulariter fieri debet. Secundò [z] Receſſu vacat Beneficium; nimirum cum quis ſecundum aſſequutus eſt, & pacificè poſſidet; præterquam Epiſcopatum, in quo, ut priora Beneficia vacent, non tantum electionem, Confirmationem, & Inſtallationem, ſed etiam [a] Conſecrationem, vel ſaltem decurſum temporis conſecrationi præſtitutum, quod [b] trium menſium habetur, præcedere oportet. Ita etiam [c] ſtatutum, quòd ſi quis beneficium curatum habens annuum valorem octo librarum attingens, aut excedens, aliud beneficium curatum accipiat, ſtatim poſt inſtitutionem & inductionem, prius ipſo iure vacare iudicetur. [d] Permiſſum tamen eſt aliis ratione Obſequii in divinis, Regiæ Maieſtati, ciuſq;

o Conſtit. nov. c. 36.
p 1. Blis. c. 1.
q 3. Iacob. c. 4.
r Conſtit. Prov. de Iure-jur. c. 1. Conſtit. nov. c. 40
s Extr. de majorit. & obedientia. Conſtit. Provin. eod. tit.
t Conſtit. Othon. de Inſtitutione Vicariorum.
u Rebuff. in praxi Benef. de miſſione in poſſeſſi.
x Lynw. ad c. eminentis. de Conceſſ. Præb. v. vacationem.
y Extr. de Renunciation. Linw. ad c. 1. de Præſumpt. v. Renuncians.
z Ext. de Præbendis c. de multa. Othob. de Inſtitutionibus. Conſtit. Prov. de Præbendis c. Audiſtis. *a* Extr. de electione c. cum in cunctis. *b* Diſtinct. 100. c. quoniam. *c* 21. H. 8. c. 13. *d* c. Eod.

liberis, nec non Prælatis, Proceribus, & Officiariis Regis secundùm numerum præstitutum, aliis ratione sanguinis vel nobilitatis, ut Baronum & Equitum auratorum filiis, & fratribus, aliis ratione scientiæ & gradus, ut Doctoribus & Baccalaureis Theologiæ, Doctoribus Iuris & Baccalaureis iuris Canonici plura beneficia obtinendi dispensationem sive Licentiam impetrare. Provisum insuper quòd [e] nulla Dignitas vel Præbenda in Ecclesia Cathedrali vel Collegiatâ, nec Rectoria Vicariam dotatam habens, nec Beneficium perpetuò appropriatum, curatum Beneficium intelligatur. Tertio [f] Amotione vacat Beneficium, utpotè cum quis ob crimen Beneficio exuitur; & postremò vacat [g] Morte, nisi ubi Canonicatuum aut Prædendarum numerus definitus non est. Nam Vacatio dicitur respectu existentiæ & numeri.

Cum vacaverit Ecclesia, intrà certum tempus alius præficiendus est [h] (nec priusquam vacare constiterit) quòd si quis, ad quem de Iure spectat conferre vel præsentare omiserit, jus præficiendi ad superiorem proximum [i] devolvitur; ita si Patronus intrà sex menses Clericum non præsentaverit, Episcopus cui volet conferre potest; & si Episcopus intrà sex menses non contulerit, Archiepiscopus jus conferendi habet. Archiepiscopo verò negligente per idem temporis spatium, ad Regem & non ultrà fiet devolutio. Et de Iure Canonico [k] tempus devolutionis currit non à die [l] vacationis, sed à die notitiæ, vel à die quo sciri debuit. Statuto autem cautum, casu quo quis Beneficio privatus fuerit, nemini tempus ad lapsum computandum priusquam ab Ordinario certior factus fuerit.

e c. Eod.
f Lynw. ad c. Esurientis de Concessione. Præb. v. Primitiis amoveri.
g Lynw. ubi s. verb. vacatur.
h Constit. Prov. de Concess. Præb. c. Esurientis.
i Rebuff. in praxi Benef. de devolutionibus. Lynw. ad c. 1. de Iure Patronat. v. devolvitur. Nomotech. 14. tit. 8. Cust. Nor. c. 112.
k c. Vnici de Iure Patronat. in 6.
l 13. Eliz. c. 12.

SECT. 3.

De *Acquisitione fructuum Beneficii.*

Acquiruntur fructus Beneficii cum quis non ipsum beneficium.

ſicium ſed fructus alicujus Beneficii percipiendi ius adeptus eſt, ut cum fructus vacantis Beneficii ad aliquem deferuntur, vel in Commendam conceduntur, vel cum quis vigore Exemptionis vel Præſcriptionis obtinet.

BEneficium ipſum modis præmiſſis obtinetur; fructus vero beneficii aliis obtineri poſſunt. Et primò cùm Beneficium vacat, [a] Epiſcopatus ſcilicet, ejus commoda temporalia ad Regiam Majeſtatem pertinent donec ſucceſſori reſtituere placuerit; ut verò res ipſæ non deſtruantur, ſtatutum, ut fructus pro juſto valore [b] Decano & Capitulo dimittantur. Spiritualia verò, de Iure Canonico, ad Capitulum ſede vacante deferebantur. De conſuetudine verò [c] Archiepiſcopi, vacante quavis ſuæ Provinciæ ſede Epiſcopali, cuſtodiam Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis habent, quæ aliàs de jure communi ad Capitulum ſpectat. Aliorum Beneficiorũ vacantium fructus [d] alicubi de conſuetudine olim epiſcopi percipiebant, quod primum Conſtitutione Othoboni interdictum. Poſtea etiam ſtatuto ordinatum eſt ad ſublevandum onus primitiarum, quod decimæ, fructus, reditus, & cõmoda quæcunq; cujuſcunq; Decanatus, Archidiaconatus, Dignitatis vel Beneficii Eccleſiaſtici, quæ tempore vacationis contigerint, proximo incumbenti reſerventur. Deductis duntaxat ſtipendio rationabili illi qui interim curæ inſerviit, & ſalario pro collectione eorundem debito.

In [f] Commendam conceditur Beneficium, cùm ſupremâ autoritate accedente Eccleſiæ vacantis cuſtodia, clerico alicui commendatur, qui ejuſdem Adminiſtrator generalis conſtituitur. Et olim pro evidenti utilitate Eccleſiæ ad tempus ſex menſium permittebatur, nec commendatarius fructus ſuos faciebat, ſed eorundem totiuſq; adminiſtrationis rationem reddere tenebatur. [g] Poſtea vero intuitu perſonæ & pro ejuſdem utilitate uſurpari conſuevit, & deinde ad inſtar tituli & perpetui beneficii pro

a S. de dominio ſacri.

b 14. Ed. 3. c. 5.

c Antiq. Brit. de Cantuarienſis ſedis privilegiis. Nu. 40. Lynw. ad c. 1. de Hereticis. v. Dioceſano.

d Ne Prælati fructus Eccleſiarum vacantium percipiant.

e 28. H. 8. c. 10.

f De Elect. in 6. c. Nemo Garſias de Beneficiis, l. 4. c. 4.

g Ceras. de Benefic. p. 1. c. 6.

tempore vitæ habebatur. Tertiò [h] Exemptione acquiruntur fructus Beneficii, cum aliqui non solvendi decimas vel retinendi decimas Privilegium à Pontifice Romano obtinerent. Cujusmodi Privilegia Cistercienſibus, Templariis & Hospitalariis indulta sunt. Vnde [i] statuto ordinatum est, quod Possessiones quæ cùm ad Monasteria pertinerent à decimis immunes erant, cùm ad Regem aut alios, qui à Rege titulum haberent, devenirent, eâdem immunitate gauderent. Quartò [k] Præscriptione fructus Beneficiorum & Iura ejusmodi acquiruntur, cum quis scilicet per tempus immemoriale possedit, vel cum titulo per quadraginta annos adeptus est.

[b] Extr. de decimis c. à nobis.

[i] 3 1. H. 8. c. 13.

[k] Extr. de decimis c. cum sint. & c. Ad Apostolica. Rebuff. de decimis. q. 13.

SECT. 4.

De *Successione in bonis* Defunctorum.

Successio in bonis defunctorum est, cum quis ad bona mobilia defuncti ab Ordinario admittitur: idq; vel ex Testimento, ut Executor in Testamento nominatus; vel ab Intestato, veluti uxor aut aliquis ex liberis vel proximis consanguineis.

NOn solum rerum sacrarum & earum quæ sacris annexæ sunt, sed etiam temporalium acquisitio, cum ex eâ conscientiæ vel animæ periculum impendet, Iuri Ecclesiastico subjici potest. Ita [a] dispositio bonorum secundum voluntates defunctorum & pro salute animarum eorum qui intestati mortui sunt, quasi Negotium quod ad Religionem pertinebat ex [b] Consuetudine antiquissimâ in hoc regno Iuri Ecclesiastico permissa est. Quod in probandis ultimis voluntatibus aliquid remittit, in exequendis verò plus exigit. Nam cum Leges Civiles in Testamento condendo [c] numerum septem testium, & nonnullas solemnitates, Ius Canonicum [d] duos saltem testes cum

[a] Extr. de testamentis. c. 23.
[b] Glanvill. l. 7. c. 7. Bracton. l. 2. c. 26. Lynw. ad c. statutum, de testamentis. v. Approbatio. & v. Ecclesiastica Libert.
[c] C. De testamentis. l. si unus.
[d] Extr. de testamentis. c. cum esses.

Parocho

Parocho requirat, jure quo nos utimur sufficit coram [e] duobus liberis hominibus sive Clericis sive Laicis testamentum condi, imò omnem probationem testamenti idoneam existimamus quæ primæ Iuris Gentium simplicitati satisfacit. Cum verò de Testamento condito non est dubium, in testamento Executor nominatus, qui Loco Heredis habetur, de bonis tamen mobilibus disponere nec actionem instituere potest, priusquam Testamentum exequendi autoritatem ab Ordinario adeptus fuerit: quam potestatem ut obtineat [f] oportet, prolato coram Iudice Ecclesiastico Testamento, juramentum suscipere quod credat testamentum exhibitum esse verum atq; ultimum testamentum defuncti, & quòd justum & fidele [g] inventarium omnium & singulorum bonorum quæ defunctus die vitæ & mortis habuit conficiat, & tempore assignato exhibebit; item quòd debita, & Legata solvet, & rationes justas suæ executionis reddet, quandocunq; requisitus fuerit. Sin verò quis [h] intestatus decesserit, ad Ordinarium etiam spectat [i] Administrationem bonorum viduæ aut proximo consanguineo, aut utriq; juxta discretionem, concedere, præstito etiam priùs juramento, defunctum, quantùm constat, nullo Testamento condito decessisse: præterea fe justum inventarium exhibiturum, debita defuncti juxta valorem bonorum persoluturum. & si quid superfuerit liberis aut aliis consanguineis defuncti juxta portiones à Iudice assignandas erogaturum, & rationes justas sui muneris redditurum. Insuper priusquam literas Administratorias sigillo communitas accipiet, seipsum cum idoneis fidejussoribus pro justa bonorum Administratione obligare debet. Statutis verò cautum quod [k] Recusantes convicti tempore mortis cuiusc unq; testatoris, aut tempore concessionis Literarum Administrationis inhabiles sint ad suscipiendum officium Executoris vel Administratoris.

[l] Ordinarii autem qui hujusmodi Executoribus & Administ-

e Cowel. Instit. l. 2. tit. 10

f Cowel. ibid. § 5. Lynw. ad c. statutum de testam. v permittas & seq. & v. talibus.

g Lynw. ad c. Item quia eod. tit. v. Inventarium. constitut. Othoboni de executione testamentorum.

h Constit. Othob. de Bonis intestatorum.

i Bract. l. 2. c. 26. 21. H. 8. c. 5. Othob. de Immunit. Eccles. c. Accedit. Lynw. ad c. Ita quorundam. de testam v. nec non ab intestato. Idē. ad c. Item quod, eod. tit. v. Commissiones Administrationis.

k 3. Iac. c. 5.

l Lynw. ad c. statutum de testam v. Approb. & v. Laicus eod. Antiquitat. Britannicæ de privileg. sedis Cantuar. fol. 35. nu. 30.

tempore vitæ habebatur. Tertiò [h] Exemptione acquiruntur fructus Beneficii, cum aliqui non solvendi decimas vel retinendi decimas Privilegium à Pontifice Romano obtinerent. Cujusmodi Privilegia Cistercienſibus, Templariis & Hospitalariis indulta sunt. Vnde [i] statuto ordinatum est, quòd Possessiones quæ cùm ad Monasteria pertinerent à decimis immunes erant, cùm ad Regem aut alios, qui à Rege titulum haberent, devenirent, eâdem immunitate gauderent. Quartò [k] Præscriptione fructus Beneficiorum & Iura ejusmodi acquiruntur, cum quis scilicet per tempus immemoriale possedit, vel cum titulo per quadraginta annos adeptus est.

b Extr. de decimis: c. à nobis.

i 31. H. 8. c. 13.

k Extr. de decimis c. cum sint. & c. Ad Apostolica. Rebuff. de decimis. q. 13.

SECT. 4.

De *Successione in bonis* Defunctorum.

Successio in bonis defunctorum est, cum quis ad bona mobilia defuncti ab Ordinario admittitur: idq; vel ex Testamento, ut Executor in Testamento nominatus; vel ab Intestato, veluti uxor aut aliquis ex liberis vel proximis consanguineis.

NOn solum rerum sacrarum & earum quæ sacris annexæ sunt, sed etiam temporalium acquisitio, cum ex eâ conscientiæ vel animæ periculum impendet, Iuri Ecclesiastico subjici potest. Ita [a] disposito bonorum secundum voluntates defunctorum & pro salute animarum eorum qui intestati mortui sunt, quasi Negotium quod ad Religionem pertinebat ex [b] Consuetudine antiquissimâ in hoc regno Iuri Ecclesiastico permissa est. Quod in probandis ultimis voluntatibus aliquid remittit, in exequendis verò plus exigit. Nam cum Leges Civiles in Testamento condendo [c] numerum septem testium, & nonnullas solemnitates, Ius Canonicum [d] duos saltem testes cum

a Extr. de testamentis. c. 23.
b Glanvill. l. 7. c. 7. Bracton. l. 2. c. 26. Lynw. ad c. statutum. de testamentis. v. Approbatio. & v. Ecclesiastico Libert.
c C. De testamentis. l. si unus.
d Extr. de testamentis. c. cum esses.

Parocho

Parocho requirat, jure quo nos utimur ſufficit coram [e] duobus liberis hominibus ſive Clericis ſive Laicis teſtamentum condi, imò omnem probationem teſtamenti idoneam exiſtimamus quæ primæ Iuris Gentium ſimplicitati ſatisfacit. Cum verò de Teſtamento condito non eſt dubium, in teſtamento Executor nominatus, qui Loco Hæredis habetur, de bonis tamen mobilibus diſponere nec actionem inſtituere poteſt, priuſquam Teſtamentum exequendi autoritatem ab Ordinario adeptus fuerit: quam poteſtatem ut obtineat [f] oportet, prolato coram Iudice Eccleſiaſtico Teſtamento, juramentum ſuſcipere quod credat teſtamentum exhibitum eſſe verum atq; ultimum teſtamentum defuncti, & quòd juſtum & fidele [g] inventarium omnium & ſingulorum bonorum quæ defunctus die vitæ & mortis habuit conficiat, & tempore aſſignato exhibebit; item quòd debita, & Legata ſolvet, & rationes juſtas ſuæ executionis reddet, quandocunq; requiſitus fuerit. Sin verò quis [h] inteſtatus deceſſerit, ad Ordinarium etiam ſpectat [i] Adminiſtrationem bonorum viduæ aut proximo conſanguineo, aut utriq; juxta diſcretionem, concedere, præſtito etiam priùs juramento, defunctum, quantùm conſtat, nullo Teſtamento condito deceſſiſſe: præterea ſe juſtum inventarium exhibiturum, debita defuncti juxta valorem bonorum perſoluturum, & ſi quid ſuperfuerit liberis aut aliis conſanguineis defuncti juxta portiones à Iudice aſſignandas erogaturum, & rationes juſtas ſui muneris redditurum. Inſuper priuſquam literas Adminiſtratorias ſigillo communitas accipiet, ſeipſum cum idoneis fidejuſſoribus pro juſta bonorum Adminiſtratione obligare debet. Statutis verò cautum quod [k] Recuſantes convicti tempore mortis cuiuſcunq; teſtatoris, aut tempore conceſſionis Literarum Adminiſtrationis inhabiles ſint ad ſuſcipiendum officium Executoris vel Adminiſtratoris.

[l] Ordinarii autem qui hujuſmodi Executoribus &

[e] Cowel. Inſtit. l. 2. tit. 10

[f] Cowel. ibid. § 5. Lynw. ad c. ſtatutum. de teſtam. v permittas & ſeq. & v. talibus.

[g] Lynw. ad c. Item quia, eod. tit. v. Inventarium. conſtitut. Othoboni de executione teſtamentorum.

[h] Conſtit. Othob. de Bonis inteſtatorum.

[i] Bract. l. 2. c. 26. 21. H. 8. 5. Othob. de Immunit. Eccles. c. Accedit. Lynw. ad c. Ita quorundam. de teſtam v. nec non ab inteſtato. Idẽ ad c. Item quod, eod. tit. v. Commiſſion. Adminiſtrationis.

[k] 3. Iac. c. 5.

[l] Lynw. ad c. ſtatutum de teſtam v. Approb. & v. Laicus eod. Antiquitat. Britannicæ de privileg. ſedis Cantuar. fol. 35. nu. 30.

Administratoribus autoritatem præstant, sunt, si defunctus bona notabilia id est valoris quinque librarum in diversis Dioecesibus tempore mortis habuerit, Archiepiscopi jure Prærogativæ per Provincias suas; si extrà Dioecesin bona notabilia non habuerit, Episcopi dioeceseos in quâ quis moritur. Et sicut statuto confirmatum est quòd Probatio & insinuatio Testamentorum & concessio Literarum Administrationum bonorum eorum qui intestati moriuntur, ad Episcopos pertineat, ita etiam ordinatum quòd horum ministri percipiant [m] fœoda duntaxat in statuto definita, videlicet pro Testamento, ubi bona non excedunt quinque libras, duodecim denarios; ubi quinq; libras excedunt, nec tamen 40l tres solidos & sex denarios; & si 40l excesserint, quinque solidos duntaxat. Pro literis Administrationis; si bona quinque libras non excedunt, nihil omninò; ubi excedunt quinque, nec tamen quadraginta, duos solidos & sex denarios.

m 21. H. 8. c. 4.

SECT. 5.

De contractu Ecclesiastico & de Contractu circa Beneficium.

Contractus Ecclesiasticus est qui Iuri Ecclesiastico congruit; estque vel de Beneficio, vel de fructibus Beneficii, vel Contractus Conjugalis.

Contractus de Beneficio est vel Compositionis, quâ de portione aliquâ vel Pensione ex Beneficio delibandâ convenitur: vel Permutationis, quâ de Beneficiis mutuò hinc indè transferendis agitur.

CVm Clericis negotiatio sit interdicta, nec Res sacræ sint in Commercio, & in iis quæ sacris annexæ sunt prohibita sit alienatio; contingit quòd pauciores sint contractus qui ad Ius Ecclesiasticum spectent. Ex iis tamen aliqui circà ipsa Beneficia vel Beneficiorum proprietatem

tem celebrantur. Et primò de iis habetur [a] Compoſitio; etſi enim de rebus ſpiritualibus & hiſce annexis tranſactio propter periculum animæ non concedatur, [b] amicabilis compoſitio in Beneficialibus locum habet. Et hujuſmodi compoſitio quandoq; inter Rectorem & Vicarium intercedit [c] de congruâ Portione vel Penſione; quandoq; inter Rectoores diverſarum Eccleſiarum ut [d] decimæ quædam in in un â Parochiâ provenientes alterius Parochiæ Rectori perſolvantur. Ita verò compoſitio vim obtinet, ſi cum cauſæ cognitione, [e] Epiſcopi vel ſuperioris autoritas, eorumque, quorum intereſt, conſenſus intervenerit. Secundò circa proprietatem Beneficiorum [f] Permutatio contrahitur, quæ eſt unius Beneficii ad aliud mutua præſtatio. Nam licèt hujuſmodi permutationes ex pactionibus omninò Licitæ non habentur, [g] Epiſcopus tamen poteſt de uno loco ad alium aliquos transferre, ut qui uni loco ſint minùs utiles, poſſint alibi ſe utiliùs exercere. Itaque in Permutatione etiam requiritur [h] cauſa, quam Epiſcopus diſquirere debet, & illorum [i] conſenſus ad quos Præſentatio ſpectat adhibendus eſt.

a Ext. de decimis c. ex multiplici. Lynw. ad c. quoniam de offic Vicarii v. ſunt contenti.

b Extr. de decimis c dilecti & ſeq. Rebuff. de decimis q. 13. nu. 14. & ſeq.

c Lynw. ubi S. & eod. c. v. aſſignetur.

d Extr. de tranſact. c. ſtatuimus.

e Extr. de tranſact. c. venient.

f Rebuff. in praxi Benef. de permutatione Benef. *g* Extr de Rerum permutatione c. quæſitum & ſeq. *h* C. eodem in fine & ibi d d. *i* Rebuff. ubi S. nu. 21.

SECT. 6.

De *Contractu circa fructus Beneficii.*

Contractus circa fructus Beneficii eſt, cùm Sequeſtrationis, quâ jus colligendi fructus ad uſum alterius alicui committitur, tùm Locationis, quâ ius percipiendi ad uſum proprium ad tempus pro mercede conceditur.

BEneficiorum fructus aliquandò ſuperioris autoritate, aliquando propriâ diſponuntur, a ſuperiori per modum

dum [a] sequestrationis, quæ est commissio potestatis colligendi fructus Beneficii custodiæ causa; estq; vel [b] vacantis Beneficii ad usum proximi incumbentis, vel [c] Litigiosi ad usum jus habentis: ex quâ tenetur is qui sequestrationem suscepit finito tempore sequestrationi destinato fructus perceptos restituere, vel eorundem rationem reddere. Autoritate propriâ Incumbentis fructus ad alterius usum locantur, cum vel integri fructus beneficii, vel pars aliqua eorundem alicui pro mercede ad tempus conceduntur. Nam etsi res Ecclesiasticæ alienari non possunt, proventus tamèm earum ad tempus [d] Locari possunt, ita de Iure Canonico Prædia in [e] Emphyteusin, id est, in perpetuum sub annuo censu; res verò melioris conditionis ad [f] modicum tempus concedi potuerunt: Statutis verò cautum est, ut [g] Archiepiscopi, Episcopi, & qui Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis præsunt terras suas ultra terminum viginti unius annorum locare non possunt, nec pro minori reditu quàm locari solebant: quod cum ad Regiam Majestatem extendere non videbatur, postea à Serenissimo Rege IACOBO ordinatum est, ne [h] Archiepiscopi vel Episcopi possessiones suas ad Regiam majestatem transferendi potestatem habeant, nec alienationes vel concessiones effectum ullum sortiantur.

[i] Permissum tamen domos in civitatibus, aut villis incorporatis aut in publicis Emporiis quę fundos ultra quantitatem decem acrarum non habent secundum Legem communem dimittere.

[k] Qui verò Beneficia curata habent ea ad aliquod tempus diutius quam quo super iis residebunt (absentiâ octaginta dierum quotannis permissa) locare nequeunt, nisi duo Beneficia retinendi facultatem habent, quo in casu alterum curato dimittere permittuntur. [l] Ei etiam qui beneficium curatum habet omnino interdictum est ne alio Rectoriam vel vicariam conducat.

SECT.

a Extr. de sequestrat. & constit. Prov. eod. tit. & ibi Lynw. ad c. frequens v. permissis. Cóstit. Othob. ne Prælati fructus.
b 28. H. 8. c. 11.
c Extr. de sestrat. penult. & ult. Athon ad constit. Ne Prælati fructus v. sequestrationes.
d Extr. de locato c. vestra, constit Prov. eod. tit.
e Caus. 10. q. 2. c. ea.
f Extr. de Precariis. Othob. Ne Ecclesia ultra quinquenniũ.
g 32. H. 8. c. 28, 13. Elis. c. 10.
h 1. Iac. c. 3.
i 4. Elis. c. 11.
k 13. Elis. c. 20.
l 21. H. 8. c. 13.

SECT. 7.

De *Contractu Conjugali.*

Contractus coniugalis est quo personæ idoneæ viri scilicet & mulieres habiles de individuâ vitæ societate consentiunt: cuiusmodi est sponsalia quibus privatim, & Nuptiæ, quibus palam matrimonium contrahitur.

PRæter Contractus qui circa Beneficia & Fructus beneficiorum fiunt, Iure Ecclesiastico præcipuè regitur contractus conjugalis in quo de fœdere matrimoniali agitur, quod voti religiosi conditionem sapit & cùm [a] Sponsalibus tùm Nuptiis peragitur.

[b] Sponsalia sunt privata vel sine solennitate personarum contrahentium conventio, vel [c] de futuro, quandò aliqui se futuros conjuges spondent, vel de præsenti, quando [d] per verba de præsenti, viri & mulieres quoad matrimonium simul in se invicem consentiunt. [e] Nuptiæ sunt cum in facie Ecclesiæ, bannis prius legitimè denuntiatis, vir & mulier Parocho interrogante per verba & ceremonias usitatas se maritum & uxorē invicem solenniter profitentur, & tales à Paroeho cum benedictione pronuntiantur.

Illud autem observandum quòd [f] quibusdam temporibus divino cultui specialiter destinatis nuptiæ celebrari non permittuntur, nempè à sexagesimâ usq; ad octavum Paschatis; à tribus diebus Rogationum usq; ad octavam; & per totum adventum. Item quòd Nuptiæ celebrentur [g] in Ecclesiis vel Capellis ubi altera pars contrahentium habitat: tempore divinorum, inter horas nonam & duodecimam ante meridiem, & quod ante nuptiarum celebrationem [h] tribus diebus Dominicis vel festivis, tempore divinorum in Ecclesiis ubi contrahentes habitant, futuri matrimonii denuntiationes fiant, nisi ut aliter fiant ab

a Extr. De sponsal. & matrimon. Constit. Prov Eod. tit.
b Caus. 30. q. 5. c Nostrat.
c Extr. de spons. c. 2.
d Extr. de desponsat. Impub. c. ult.
e Caus. 30. q. 5. Constit. Prov. de sponsal. c. unic. & de cland. desp. c. 1.
f Extr. de feriis c. Capellanus. Lynw. ad c. 1. de decimis v. Nubenti um solenniis & ad c. 1. de clandestina desponsatione.
g Constit. nov. 62. 102.
h Extr. de clandest. desp. c. cum inhibitio. Constit. Prov. eod. tit. & Constit. nov. 62. 101.

Ordinario dispensatum fuerit. Cum verò quam plura sint Impedimenta quæ, de Iure Canonico, matrimoniis obstant: statutis declaratur quòd [i] omnes personæ legitimæ sint ad matrimonium contrahendum qui divino jure contrahere non prohibentur: & quod nulla prohibitio ultra gradus Leviticos matrimonium impediat.

Secundo quòd [k] omnes Leges positivæ, Canones, & Constitutiones, quæ personis Ecclesiasticis cujuscunq; conditionis matrimonium interdicunt, qui jure divino licitè matrimonium contrahere possunt, irritæ sint prorsus & nullius roboris.

i 32. H 8. c. 38. 2. Ed. 6. c. 23.

k 2. & 3. Ed. 6. c. 21. 5. Ed. 6. c. 28. 1. Iac. c. 25.

SECT. 8.

De *Delictis Ecclesiasticis & de Delictis contra Pietatem.*

Delictum Ecclesiasticum est quod contra ius Ecclesiasticum committitur, estque vel contrà Pietatem, vel contrà Charitatem, vel contrà Officium Ecclesiasticum. Delicta contrà Pietatem vel Religionem sunt quæ Religionem & Pietatem lædunt. Veluti Apostasia, Hæresis, Schisma, Informitas, Blasphemia, Periurium, Sacrilegium, Simonia, Prophanatio, violatio libertatum Ecclesiasticarum, Desidia in divinis, Perturbatio, & substractio eorum quæ ad pietatem sustinendam de Iure conducunt, & similia.

UT quæ contra jus Temporale committuntur delicta temporalia habentur, ita Ecclesiastica censentur, quæ contra jus Ecclesiasticum, in quibus inprimis observanda sunt quibus Religio læditur, utpotè primo [a] Apostasia quæ est totalis à Religione Christiana discessio.

Secundò [b] Hæresis, cùm quis dogma aliquod erroneum circà fidem Catholicam pertinacitèr tenet.

a Apostatum. C. de Apostatis. c. 26. q. 7. c. non observetis. b l. 2. c. de Hæreticis. fine caus. 24. q. 1. 2. & 3. extr. de Hæreticis.

Tertiò

Tertiò [c] Schiſma, cùm quis ab unitate Eccleſiæ ſe dividit.

Quartò [d] Inconformitas, cùm quis Liturgiæ, ritibus & Ceremoniis Eccleſiæ, aut modo ordinandi Diaconos & Presbyteros vel conſecrandi Epiſcopos adverſatur.

Quintò [d] Blaſphemia, cùm quis divinæ majeſtati vel Sanctis detrahit.

Sextò [e] Perjurium, cùm quis contrà Conſcientiam falſum juramentum præſtat.

Septimò [f] Sacrilegium, quod committitur, cùm quis in [g] Clericum violentas manus injicit, cùm quis [h] ſacrum de ſacro, vel ſacrum de non-ſacro, vel non-ſacrum de ſacro aufert.

Octavo [i] Simonia, quæ eſt rerum ſpiritualium vel earum quæ ſpiritualibus annexæ ſunt Emptio & venditio.

Nonò Prophanatio, [k] cùm diebus Dominicis vel feſtis illicita vel prophana negotia peraguntur. [l] Si in Eccleſiis vel locis ſacris contractus, Placita, Negotia ſæcularia, Convivia, ludi theatrales vel ſimilia habeantur. Si [m] rixæ, contentiones vel pugnæ in Eccleſiis vel Cœmiteriis committantur; Si Eccleſiæ [n] deſtruantur vel dilapidentur.

Decimò, violatio [o] Libertatum Eccleſiaſticarum, cùm quis Privilegia & immunitates perſonis & rebus Eccleſiaſticis conceſſas impugnat.

Vndecimò [p] Defectus in divinis, cùm quis ſacris officiis quoties oportet non intereſt; ſacramentum quando præcipitur non percipit; aut alia, quæ ad divinum cultum requiruntur, non peragit.

[c] Cauſ. 24. q. 3. c. inter hæreſin. extr. de ſchismaticis. Lynw. ad c. 1. de Magiſtris v. ſchismatum. Conſtit. nov. c. 9.

[d] 1. Elis. c. 2. Conſtit. nov. c. 6.

[d] Extr. de Maſedicis. c. 2. Lynw. ad c. 1. de off. Archipresb. v. Blaſphemia.

[e] Extr. de Reſcript c. 2. & extr. de Iurejur. c. tua nos.

[f] Lynw. ad c. 1. v. ſacrilegium. de off. Archipresb.

[g] Cauſ. 17. q. 4. c. ſi quis ſuadente Diabolo.

[h] C. de crimine ſacrileg. c. 17. q. 4. c. quiſquis.

[i] C. de Epiſcopis & Cler. l. ſi quenquam. extr. de ſimonia c. cum in Eccleſia & ſeq. & 5. & 6. Ed. 6. c. 3. Conſtit. nov. c. 13.

[l] Diſtin. 42. c. Non oportet & ſeq. extr. de Imunit. Eccleſ. c. cum Eccleſia & eod. tit. in 6. c. decet Conſtit. Othob. quod Negotiationes non fiant.

[m] 5. & 6. Ed. 6. c. 4.

[n] Cauſ 17. q. 4. c. ſicut extr. de Raptoribus & violat. c. 2. & c. cum in literis. Lynw. ad c. Inprimis. de tempor. ordinand. v. Eccleſiarum incendiarios. Conſtit. Prov. de off. Archidiac. c. ult. & ibi Lynw.

[o] Cauſ. 17. q. 4. c. miror. & ſeq. extr. de Imunit. Eccleſia. Conſtit. Prov. de Iudiciis c. Item omnes.

[p] 5. & 6. Ed. 6. c. 3. Conſtit. nov. c. 13.

Duodecimò [q] Perturbatio in Divinis est cùm quis aliquem in sede impediverit, vel officiis divinis intento molestus fuerit.

Decimo tertiò subtractio eorum quæ ad Pietatem sustinendam conducunt est, cum quis decimas, oblationes, aut alia pro divinis officiis debita persolvere renuit.

[q] Constit. nov. c. 111.

SECT. 9.

De Delictis contra Charitatem.

Delicta contra Charitatem sunt, quibus Charitas violatur aut impeditur; veluti Incontinentia, *Ebrietas, usuraria pravitas, Diffamatio & similia.*

PRo Charitate in Societate Ecclesiasticâ tuendâ & ad evitandum [a] scandalum, quædam etiàm Iure Ecclesiastico prohibentur de quibus olim in Legibus temporalibus non est cautum. Cuius generis primò est [b] Incontinentia, peccatum scilicet contrà Castitatem; sub quo gravissimum habetur [c] Incestus, cum quis Parentibus, Liberis, & Consanguineis, vel affinibus intra gradus prohibitos impudicè adhæret. Cui proximè accedit [d] Adulterium, sivè alieni tori violatio. Deinde [e] Fornicatio, quæ inter personas solutas intercedit; iisq; adiungitur [f] Lenocinium, cum alicujus ope vel auxilio aliquid eiusmodi perpetratur. Deindè hoc Iure prohibetur etiam [g] Ebrietas, peccatum contrà Sobrietatem & [h] usuraria pravitas, cum quis pro re mutuò datâ aliquid ultrà sortem exigit. Et [i] Diffamatio, cùm quis ad infamiam aut vituperationem alterius aliquid verbis vel scriptis effert, & similia, quæ cum omnibus sint interdicta, multò magis [k] Clericis quibus etiàm quædam quæ aliis sunt licita tanquam ordini indecora prohibentur: ve-

[a] Lynw. ad c. Presb. de Iurejurando v. scandala.
[b] Caus. 36. q. 1. c. 2. in addition.
[c] Caus. 35. q. 2. c. Conjunctiones. & seq.
[d] Caus. 32. q. 4. c. Nemo & c. non mœchaberis, Extr. de Adulteriis.
[e] Caus. 32. q. 4. c. Meretrices & seq. Lynw. de off. Archid. c. 1. v. Fornicatio.
[f] L. Auxilium, in fine. D. de Minoribus. Lynw. ad c. Item licèt. de Purgat. canon. v. Simili.
[g] Distinct. 35. c. 35. & seq.
[h] Caus. 14. q. 3. c. pleriq; extr. de usuris constit. Provin. c. de pignor. c. unic.
[i] Caus. 2. q. 8. c. quisquis extr. de Calumniatoribus c. qui crimen, constit. Provin. c. de sententia excom. c. 1.
[k] Distinct. 35. c. 1. & seq. extr. de vita & con. cler. Constit. Prov. eod. tit. Constit. nov. c. 74. 75. 76.

luti

luti Vestitu inordinato uti, arma gerere, aleis vel taxillis ludere, tabernas frequentare, lucri causâ negotiari, & similia. Quinetiam Clerici quandoq; ex delictis Incorigibiles, quandoq; irregulares censentur. [l] Incorrigibiles qui sæpiùs, ter scilicet admoniti, à delictis non desistunt. [m] Irregulares qui crimen Capitale, veluti homicidium, aut aliud grave, veluti si ab officio suspensi, divinis se ingesserint, commiserint.

l Linw. ad c. Ité statuimus de pœnis v. incorrigibilis. *m* Dist. 50. c. si Episcopus. de sent. & re jud. in 6. c. 1. Constit. Prov. de temp. ord. c. Inpr. & ibi Lynw. ad v. Irregular.

SECT. 10.

De Delictis contra Officium Ecclesiasticum.

Delictum contra officium Ecclesiasticum est quod personæ Ecclesiasticæ in iis quæ ipsis incumbunt contra Ius Ecclesiasticum committunt.

DElicta contra pietatem & Charitatem sunt communia; quæ verò contrà officium admittuntur propria sunt eorum qui ad officia Ecclesiastica tenentur. Et primò [a] Prælatis pro delicto imputatur, Si [b] Clericos non suos sine literis dimissoriis promoveant, si extra [c] tempora statuta, aut [d] titulum non habentibus sacros ordines conferant, & similia. Deinde aliis in Dignitate constitutis pro delicto habetur, si ea quæ ipsis specialiter incumbunt non exequantur. Tertio ij etiam qui curam animarum habent contra officium delinquunt, si in divina officia [g] celebrando, Sacramenta administrando, Pueros in Elementis Religionis erudiendo, Conciionando, Ægrotos visitando, Mortuos sepeliendo & similibus, quod ad eorum officium spectat quicquam prætermittant, aut in peragendo, [h] modos & ritus præscriptos non observent.

Atq; hæc delicta propria sunt. Communia tam Prælatorum quam aliorum sunt [k] si diutiùs quam de Iure permissum est à Beneficiis absint ex quo non Residere dicuntur,

a Extr. de supplend. neg. Prælat. *b* De tempor. ordin. in 6. c. 2. & 3. Constit. Prov. de temporibus ordin. c. Quia. *c* distinct. 75. c. ult. Extr. de temp. ordin. c. sanè & c. cum quidam. *d* Extr. de Præbendis c. Episcop. *g* Distinct. 92. c. ult. Extr. de celebrat. missarum. Barl. de off Parochi c 14. 15. 16. & seq. *h* Constit. Prov. de clandest. despon. c. 1. & 2. in fine & ibi Lynw. *k* Extr. de clericis non Residentibus 21. Hen. 8. c. 13.

tur, nisi ex rationabili causa cum iis dispensatum fuerit, [l] si partes Ecclesiarum quas reficere tenentur, vel domicilia quæ ad Beneficia pertinent dilapidari vel in ruinam vergere patiantur. Postremo contra officium delinquunt [m] Parochiani præter ea quæ ad Pietatem pertinent, si ea quæ vel speciali vel generali respectu iis incumbunt, non præstent.

l Extr. de Ecclesiis, reparandis Constituti. Othob. de domibus Ecclesiarum reficiendis.

m Vid. S. de offic. Paroch.

PARS TERTIA

SECT. I.

De *Iudicio Eccleſiaſtico.*

Iudicium Eccleſiſticum eſt quod de cauſis Eccleſiaſticis inſtituitur, & prout in genere reſpicitur in Curiâ Eccleſiaſticâ, Cognitione & Cenſuris Eccleſiaſticis expeditur, deinde ad certa vel ſpecialia Negotia applicatur.

QVemadmodùm ad decidendas cauſas temporales Iudicia ſæcularia, ita ad Controverſias Eccleſiaſticas terminandas [a] Iudicia Eccleſiaſtica comparata ſunt, in quibus ſcilicet perſonæ Eccleſiaſticæ coram Iudice Eccleſiaſtico diſceptent. Et quòd hujuſmodi Iudicia in cauſis Eccleſiaſticis exerceri poſſint antiquitùs ſtatuto [b] Circũſpectè agatis & [c] Articulis Cleri comprobatur. Ad Iudicium verò Eccleſiaſticum exercendum prætèr Iudices, [d] Advocati, Procuratores, Regiſtrarii & Apparatores adhibentur. Ad Iudices quod attinet ſtatuto ordinatum quòd [e] perſonæ etiàm coniugatæ dummodò Doctores Iuris Civilis fuerint, qui ad officium Cancellarii, vicarii generalis,

[a] Extr. de Iudiciis & tit. ſeq. Conſtit. Prov. tit. eod. & ſeq. Conſtit nov. 119. & ſeq.

[b] 13. Ed. 1.

[c] C. 9 Ed. 2.

[d] Extr. de offi. Iud. ordin. & deleg. & de offic. vic. Conſtit. Prov. iiſd. tit.

[e] 37. H. 8. c. 17.

neralis, officialis vel Commissarii à Maiestate Regiâ, Archiepiscopo Episcopo Archidiacono aut alio quocunq; potestatem habente deputati sunt omnem Iuridictionem Ecclesiasticam exercere & quamlibet censuram sive coercitionem irrogare possint. Constitutionibus verò [f] novis requiritur quòd sint ætatis 26 annorum, periti in Iure Civili & Ecclesiastico, Magistri Artium vel Baccalaurei Iuris, qui in susceptione officii juramentum præstent de Primatu regio & de sincerè administrando Iustitiam, & articulis religionis subscribant. Deindè [g] Advocati sunt qui in ijs quæ ad ius & merita causæ spectant, iudices instruunt. [h] Procuratores sunt proùt de Iure Civili qui in Iudiciis secundùm mandatum, aliorum nomine litigant, qui si ab universitate constituuntur [i] Syndici dicuntur; qui absq; mandato causas susciperе non debent, nec sine consilio advocati. [k] Registrarii sunt qui acta & res gestas coràm Iudice scribunt. [l] Apparitores qui citationes & eiusmodi mandata exequuntur.

f Constit. 127. 128.
g Extr. de Postulando constit. Prov. Eod tit. Constit. Othonis & Othob. de off Advocati
h Extr. de Procurat. Constit Othonis & Prov. Eod. tit. Constit. nov. 129. 130. 131.
i Extr. de Syndico.
k Constit nov. 134. 135. 136.
l Constit nov. 138.

SECT. 2.

De *Curiis Ecclesiasticis* & De *Curiis Supremis*.

Curiæ Ecclesiasticæ sunt fora in quibus Iudicia Ecclesiastica exercentur; Suntq; vel Supremæ, Intermediæ, vel Inferiores. Curiæ Supremæ sunt quæ authoritate Regiâ immediatè instituuntur. Vt Curiæ Delegatorum & Commissariorum Regiorum.

AD iudicia Eccclesiastica exercenda iudicibus tribunalia constituta sunt, quæ [a] consistoria dicuntur, ad quæ subditi conveniendi sunt, non solùm [b] Clerici qui præterquàm in causis [c] feudalibus & aliis quæ de communi Iure aut statuto aliquo ad tribunalia sæcularia pertinent sæcularibus

a Vocab. utriusq; iur. v. Consistorium
b Extr. de foro compet. c. 1. 2. & seq. Constit Prov. Eod. tit. c. 1.
c Extr. Eod. c extrans. & c. verum.

ſæcularibus curiis ſubditi non ſunt, [d] nec Eccleſiaſtici fori privilegio renuntiare poſſunt, ſed etiam [e] Laici in cauſis quæ de Iure Eccleſiaſtico, vel de Conſuetudine ad Cognitionem Eccleſiaſticam ſpectant, nec ex aliquâ cauſâ Eccleſiaſticâ ad Curiam aliquam extrà [f] regnum quiſquam trahendus eſt: ità enim ſtatuto ordinatum, quòd omnes Cauſæ, quarum Cognitio ex Benignitate Principum & ſecundùm Leges & Conſuetudines Regni ad Iuriſdictionem ſpiritualem Regni pertinent, quotieſcunq; emergant infrà regnum vel ditionem aliquam Regiæ Maieſtati ſubditam, infra Iuriſdictionem Regiam & non alibi audiantur & determinentur in Curiis Eccleſiaſticis, prout natura, qualitas & conditio earundem requirit; & ſi quis in cauſis prædictis à Curiâ Romanâ aut aliquâ aliâ curiâ extrà regnum citationem, inhibitionem vel ſententiam procurabit, vel procurare conatus fuerit, pœnam incurrat quæ ſtatuto de Præmunire 16 Richardi ſecundi irrogatur.

In his Curiis primas obtinent quæ a Commiſione Regia pendent, utpotè Curia Delegatorum, in quâ Cauſæ civiles & appellationum ab Archiepiſcopis devolutæ deciduntur. Et Curia Commiſſariorum Regiorum, in qua Delicta Eccleſiaſtica ſupremâ autoritate coercentur. Pro Iuriſdictione [g] Delegatorum ſtatutum fuit, quòd cùm nulla appellatio in cauſis intrà regnum inchoatis ad Curiam Romanam vel extrà Regnum fieri poſſit, propter defectum Iuſtitiæ in Curiis Archiepiſcoporum liceat parti gravatæ ad Regiam Majeſtatem in Curiâ Cancellariæ appellare, & quòd poſt eiuſmodi apellationem Commiſſio ſub magno ſigillo perſonis ſpecialitèr deſignandis dirigatur, qui vigore ejuſdem quamlibet cauſam appellationis audiendi & finaliter terminandi poteſtatem habeant. Deinde pro Iuriſdictione etiam ſupremorum [h] Commiſſariorum Regiorum ordinatum eſt, quòd Regia Maieſtas poſſit per Literas patentes ſub magno ſigillo Angliæ quotiès libuerit perſonas ex ſubditis quos voluerit

d Extr. cod. c. ſi diliges.
e Extr. cod. c. ſi clericus & c. Licet.
f 24. H. 8. c. 12.
g 25. H. 8. c. 19.
h 1. Eliz. c. 1.

rit nominare qui per universum regnum & terras sub Dominatione Regiâ Iurisdictionem exercere possint, & omnes errores, hæreses, schismata, abusus, delicta & contemptus quoscunq; visitare, reformare, & corrigere quæ qualibet potestate Ecclesiasticâ corrigi & reformari possint, quòdq; personæ sic nominatæ præmissa exercendi & exequendi secundum tenorem Litterarum patentium potestatem habeant.

SECT. 3.

De Curiis intermediis.

Curiæ intermediæ sunt in quibus Archiepiscoporum & Episcoporum Iurisdictio exercetur. Imprimis Archiepiscoporum ut Archiepiscopi Cantuariensis Curia de Arcubus, Audientiæ, & Prærogativæ; deinde Episcoporum quæ in Ecclesiis Cathedralibus aut locis remotioribus constitutæ sunt.

SIcùt alii vigore Delegatæ potestatis & Commissionis Regiæ, ita sub Regiâ Majestate, virtute Iurisdictionis ordinariæ Archiepiscopi & Episcopi judicandi potestatem habent, [a] Ampliorem verò Archiepiscopi, in quorum Curiis [b] Causæ appellationum à quibuscunq; Curiis intrà provinciam, etiam omisso medio interpositæ terminantur, & [c] Literis Requisitoriis ab ordinario obtentis quælibet controversiæ inter quascunq; personas originalitèr instituuntur.

Inter Curias verò Archiepiscopi Cantuariensis, Primaria est [d] Curia de Arcubus, ab Ecclesiâ arcuatâ, quæ Londini Beatæ Virgini Mariæ dicata est, denominata; cujus Iudex Decanus de Arcubus insignitur: Post eam [e] Curia Audientiæ in Ecclesiâ Beati Pauli Londini habetur; quæ etsi æqualis sit Iurisdictionis, inferior tamen cùm antiquitate, tùm dignitate existimatur. Ejusque Iudex cau-

sarum

a Extr. de offic. Legati. c. 1.
b Antiq. Britannicæ de Privilegiis sedis Cantuar. fol. 34. nu. 20.
c 23. H. 8. c. 10.
d Antiquit. Britan. ubi S. fol. 36. nu. 40. vid. Lynw. ad Constit. de Accusat. v. vel ejus officiales.
e Ibid fol. 38. nu. 10.

sarum Negotiorumque audientiæ Cantuariensis Auditor, seu officialis dicitur. Eodem loco [f] Curia Prærogativæ Cantuariensis observatur, in quâ omnes controversiæ de testamentis quarum probatio ad Archiepiscopi Iurisdictionem spectat, & de bonis eorum qui intestati defuncti sunt Administrandis, qui sunt cognitionis eiusdem, disceptantur & terminantur.

[f] Ibid. nu. 30. 23 H. 8. c. 9. propè finem.

Ordinariæ etiàm Iurisdictionis ratione Episcopi suas [g] Curias habent in Ecclesiis Cathedralibus, quibus Cancellarii præsunt; & Locis remotioribus, in quibus [h] Commissarii præficiuntur.

[g] 23. H. 8. c. eod.

[h] Cow. in v. Commissarii.

SECT. 4.

De Curiis inferioribus.

Curiæ Inferiores sunt quæ sub Episcopis ad alios spectant, utpotè ad Archidiaconos, Decanos & Capitulum, eosq; qui peculiares Iurisdictiones obtinent.

PRo amplitudine quarundam Diocesium præter Curias quæ ad Episcopos spectant, Iudicia etiam in aliis ab iis qui jurisdictionem habent exercentur. Vtpotè in Curiis [a] Archidiaconotũ in quibus de causis intrà Archidiaconatus regionem contingentibus lites intentantur. Decanorum & Capitulorum qui in Locis Ecclesiæ Cathedrali vel ipsis concessis, de causis cognoscunt; Et eorum qui [b] Peculiares Iurisdictiones in quibusdam Parochiis habent, intrà quarum limites qui degunt aliquando Archidiaconali, aliquando Episcopali Iurisdictioni eximuntur.

[a] 23. H. 8. c. 9. Cow. in v. official.

[b] C. Eod. extr. de privilegiis & eod. tit. in 6.

SECT. 5.

De Cognitione Ecclesiasticâ, & de Cognitione per Probationem.

Cognitio Ecclesiastica est modus exquirendi veritatem in

causis Ecclesiasticis, veluti per Probationes, per Præsumptiones, & per Iuramentum.

Cognitio per Probationes est, cùm secundùm Testimonia aut Instrumenta fide digna de causâ statuitur.

DE Iure Ecclesiastico modus procedendi in Iudicio idem propemodùm habetur qui de jure Civili, pro naturâ causarum plenariè scilicèt vel [a] summariè; & cùm in primâ instantiâ, tùm in causâ [b] appellationis, præterquàm quòd cùm de Iure civili à sententiâ duntaxàt [c] definitivâ appellare licuit, de Iure [d] Canonico etiam à decreto interlocutorio, & à gravamine appellare sit permissum; & cùm utroque jure decem dies tantummodò ad interponendum appellationem concedantur, [e] in causis Ecclesiasticis per statutum [e] quindecim dierum spatium, ad appellandum indulgeatur. Sed & iidem modi explorandi veritatem in Iudiciis Ecclesiasticis qui in civilibus adhibentur, per Probationes scilicet, per præsumptiones, & per Iuramentum partis. E quibus præcipuus est [f] per Probationes, nimirùm Testimonia & Instrumenta; & circà testes & Testimonia præcipitur, quòd non solùm ad [h] multitudinem testium Iudicem respicere oporteat, sed etiam ad qualitatem illorum, ex quâ cum multæ exceptiones secundum Ius civile colligantur, secundùm Ius Canonicum statuitur quòd [i] Excommunicati ad testimonium ferendum non admittantur, vel si admissi fuerint, eorum dictis & depositionibus nulla omninò fides habeatur. Deinde ad Probationes Legitimas, vel fidem in Iudicio faciendam [k] Instrumenta vel scripturæ exhiberi solent, præsertim [l] publica & authentica, id est per notarium publicum scripta, & authentico sigillo munita, aliquando etiam eorum [m] exempla solennitèr ab Originalibus desumpta id est, cum post inspectionem Iudicis Ordinarii ejusdem autoritate earundem copiæ per personam publicam extrahuntur, quòd si Instrumenta [n] Cancellata, abolita aut in aliquâ parte vitiata fuerint ad Probationem non sufficiunt.

SECT.

a Clement. de Iudiciis c. dispendiosam. & Clement. de verb. signif. c. sæpè.
b Extr. de Appellat. Constit. Prov. eod. Constit. nov. 96. 97. 98.
c C. Quorum Appellationes. l. ante.
d Extr. de c. appellat. super eo. 2. Constit. Prov. de Appell. c. in concilio.
e 24. H. 8. c. 12.
f Extr. de Probat.
g Extr. de testibus.
h Caus. 4 q. 3 c. si testes.
i Caus. 3. q. 4. c. Conspiratores.
k Extr. de fide Instrumentorum.
l Extr. de Probat. c. post cessionem.
m Extr. de fide Instrum. c. fin.
n Extr. eod. c. ex parte & ibi Abbas.

SECT. 6.

De Cognitione per Præsumptiones.

Cognitio per Præsumptiones est quandò in Iudicio aliquid ex alio infertur, idq; vel certò, vel de verisimili.

CVm Probationes directæ omnino desunt vel minus sufficiunt, in Iudicio Ecclesiastico quemadmodum in Civili [a] Præsumptiones admittuntur, quæ vel certiores sunt, vel minus certæ. [b] Certiores quæ ex rerum naturâ ducuntur, ut mulierem gravidam esse vel peperisse quia lac habet; vel quiâ de Iure sic statutum est, ut Patrem esse quem nuptiæ demonstrant, & eum in matrimonium consensisse qui virginem cognovit, cum quâ per verba de futuro contraxit. [c] Minus certæ vel verisimiles sunt cum ita ut plurimum sive sæpiùs contingit, aut plurium opinione, aut communi famâ ità esse perhibetur.

a Extr. de Præsumpt. Constit. Prov. eod. tit.
b Extr. eod. c. ex Literis.
c Extr. eod. c. Illud quoque.
d Lynw. ad Constit. de Iurejur. v. diffamati.

SECT. 7.

De Cognitione per Iuramentum.

Cognitio per Iuramentum est, cum quæstio facti vel id, de quo dubitatur, juramento deciditur.

IN iis quæ sunt minoris præjudicii, ut de Constitutione Procuratoris, citatione partis, & aliis quæ ad instruendum Iudicium fiunt, soli [a] juramento creditur donec contrarium probatum fuerit. Sed & circà merita causæ juramentum defertur, idq; [b] partireæ quæ vigore juramenti propositis ex parte actoris, ut eum ab onere probandi relevet, respondere tenetur, quandoq; etiam actori ad supplendas probationes semiplenas, undè juramentum [c] supplétorium

a Extr. de Iurejur. Constit. Prov. eod. tit.
b Extr. eod. c. ex Literis.
c Extr. eod. c. fin.

pletorium dicitur; quod Locum non habet in causis arduis, nec deferri facilè debet à Iudice, nisi pars cui defertur sit integræ existimationis.

SECT. 8.

De Coërcitione Ecclesiastica & de Excommunicatione.

Coercitio Ecclesiastica est censura sive pœna, quæ ob contemptum vel delictum in Iudicio Ecclesiastico infligitur, Vtpote Excommunicatio, Pœnitentia, & Suspensio.

Excommunicatio est, cum alicui communione fidelium interdicitur: cui affine est interdictum, quo pluribus divinorum officiorum celebratio aufertur.

AD tuendum Iudicium Ecclesiasticum etiam [a] censuræ Ecclesiasticæ comparatæ sunt. [b] Quæ tam ratione contumaciæ, quàm aliorum excessuum infliguntur. Pro qualitate culpæ vel Delicti leviores vel graviores, & quandoq; [c] ipso jure, quandoq; [d] decreto vel sententiâ Iudicis irrogantur. [e] Excommunicatio est à Communione exclusio; eaq; vel [f] minor, cùm quis à participatione Sacramentorum, vel communione in divinis officiis arcetur. Vel major, cum quis à communione fidelium etiam in temporalibus abstinere cogitur: atq; hæc quandoq; ex causis gravioribus cum majori solennitate ab Episcopo scilicet [h] cum duodecem Sacerdotibus peragitur, & [i] Anathema dicitur. Et si quis post sententiam Excommunicationis in contumaciâ per quadraginta dies perstiterit, [k] Breve regium de excommunicato capiendo contra ipsum concedendum est, cujus vigore captus in carcerem

a Lynw. ad c. statutum de Consuetud. v. Centuria.
b Extr. de dolo & contum. & de offic. ordin. c. ad reprimendum.
c Abbas in rubric. ex de sententia excom.
d Abb. Ibid.
e Extr. de sent. excommuni. Constit. Prov. eod. tit.
f Caus. 11. q. 3. c. ad mensam. §. aliquando. 3. est & alia. g Caus. &. c. iisdem. h Caus. 11. q. 3. c. debent. 106. i Caus. 3. q 4. c. Engeltrudam. k 9. Ed. 2. c. 12. 3. Ed. 3. c. 15. Lynw. ad c. præterea de sententia excom. v. Regni consuetudinis.

conjiciatur

conjiciatur, undè [l] nullâ cautione vel fide juſſione liberabitur priuſquam pro delicto ſatisfecerit. [m] Interdictum eſt, cùm certo populo, vel intra certum locum divina officia celebrari prohibentur. Et in homines illatum, eoſdem ubivis locorum comitatur; cùm verò [n] locus interdicitur, poſſunt homines alibi divinis intereſſe.

[l] 5. Elis. c. 23.
[m] De ſententia. excom. in 6. c. ſi ſententia. & c. ſi civitas.
[n] C. eodem, ſi ſententia.

SECT. 9.

De *Pœnitentia.*

Pœnitentia eſt, cum quis crimen confiteri, & lugere publicè compellitur.

PRæter Cenſuras generales quæ communionem Eccleſiaſticam reſpiciunt, alia eſt quâ corpus afficitur, nimirum [a] Pœnitentia publica vel corporalis, cum quis delictum publicè confiteri & lugere cogitur. Vt qui peccando [b] ſcandalum præbuit pœnitentiam peragendo Emendationis exemplum exhibeat. Et hujuſmodi pœnitentia certi habitus delatione, & agnitione palam in Eccleſiâ peragitur; aliquando etiam propter majora ſcelera [c] ab Epiſcopo imponitur, & cum majori ſolennitate præſtanda eſt. Pœnitentia verò corporalis ordinaria, ſi pars delinquens cui imponitur petat à Iudice, in [d] pœnam pecuniariam mutari poteſt.

[a] Extr. de pœnitentiis. Conſtit. Prov. eod. tit. & ibi Lynw. ad c. præterea. v. ſolennis.
[b] Diſtinct. 43. c. Sed illud.
[c] Diſtict. 50. c. in capit. 64.
[d] 9. Ed. c. 2. 3. & 4. Lynw. ad c. accidit de Immunit. Eccleſiæ v. Iuſtè pœnerunt.

SECT. 10.

De *Suſpenſione.*

Suſpenſio eſt, cùm alicui executioni officii vel fructibus beneficii interdicitur; eaq; vel temporalis ad tempus ſcilicet, vel perpetua, cùm quis ordinibus ſacris exuitur; quæ Degradatio dicitur; vel à beneficio amovetur, quæ Deprivatio appellatur.

Suſpenſio

SVspensio quæ circa officium & Beneficium contingit, censura propria est quæ iis infligitur qui in sacris ordinibus constituti sunt, aut beneficia obtinent. Et primum, quod ad officium spectat, Suspensio ab officio est, cùm quis ad tempus inhabilis ad exequendum ea quæ ordinis sunt, vel ad officium pertinent declaratur. Secundò, cùm quis omnino omnibus Ordinibus spoliatur, quod [b] Degradatio dicitur; estq; vel Simplex quæ solis verbis fit; vel solennis, quæ non tantum verbis sed etiam factis celebratur: ut cùm Clerici singulis ordinum insigniis exuuntur, & Degradatione perfectâ [c] Curiæ sæculari traduntur. Quæ pœna non nisi pro gravibus & Capitalibus Delictis inuri solet. Deindè quoàd Beneficia, Suspensio à [d] Beneficio est, cum ad tempus beneficii commodis quis privatur, quæ pœna ob minora delicta arbitrio Iudicis imponi potest; & cum quis penitùs à Beneficio amovetur, quæ [e] Deprivatio nominatur; & pro majoribus delictis imponitur, quibus hujusmodi pœna in jure statuitur.

a Clement. de pœnis. c. cupientem. v. suspensi. & ibi gloss. Lynw. de sententia excom. suspensionis. & c.

b De pœnis in 6. c. De gradatio.

c Lynw. ad c. Item statuimus de pœnis. v. adjudicetur.

d Gloss. in Clem. prædict. Constit. Prov. ubi Supra.

e C. 16. q. 7. c. Inventum. extr. de Rescriptis c. dilectus.

PARS QVARTA

SECT. I.

De Iudiciis circa Negotia Ecclesiastica in specie, & de Iudicio circa statum Beneficii.

IUdicium circa Negotia Ecclesiastica in specie sunt, quandò de statu Beneficii, de Acquisitione, Contractu, vel Delicto Ecclesiastico controversia statuitur.

Iudicium de statu Ecclesiæ est, quandò de Vnione vel Divisione disceptatur.

CVM Res Ecclesiasticæ sicut temporales controversiis sint obnoxiæ, de iis etiam prout de aliis contingit judicia specialia exerceri. Et primò de statu Ecclesiæ judicium instituitur, cùm de Vnione & Divisione agitur. Ipsum verò Vnionis faciendæ Negotium [a] Iudicii speciem habet, cùm coràm Ordinario vocatis iis quorum interest causis propositis & ventilatis pro unione decernitur, vel in contrarium pronuntiatur. Et quià Iustitiam magis quam gratiam concernit, si Episcopus facere recuset, [b] superior adiri potest. Deinde de [c] Vnione Iudicium instituitur, cùm controversia est utrum Vnio facta sit necne; Item quandò agitur ad revocationem Vnionis, cessante causâ propter quam

[a] Rebuff. in praxi Benef. de unione, nu. 43.
[b] Extr. de Iure Patron. c. Nullus.
[c] Garsias de Benefic. p. 12. c. 2. §. 1. & seq.
[d] Idem, p. 12. c. 4.

facta est, vel alias ob necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ. Et de [d] Divisione Beneficii coram Ordinario eodem modo agi potest.

SECT 2.

De *Iudicio Acquisitionis Ecclesiasticæ, & de Iudicio Acquisitionis Beneficii.*

Iudicium Acquisitionis Ecclesiasticæ est in quo agitur de Proprietate vel Possessione rei alicujus Ecclesiasticæ, utpote Beneficii, vel fructus alicujus beneficii, vel de successione in bonis defunctorum.

Iudicium Acquisitionis Beneficii est, cùm agitur ad beneficium adipiscendum, vel recuperandum ab eo qui spoliaverit.

POst Controversias quæ de statu Beneficiorum contingunt, expendi possunt quæ circa acquisitionem oboriuntur. Et primum ad adipiscendum beneficium agitur vel coram Ordinario, vel coram superiore. Coram [a] ordinario, cùm duo vel plures patroni ad beneficium vacans diversos Clericos præsentaverunt, unde [b] Ordinarius die & loco statuto, sex Clericis & sex Laicis, Ecclesiæ vacanti vicinis, juramento oneratis (quæ non multum differt à Cognitionis modo Prælatis Normanniæ à Philippo Rege indulto) de Iuribus Patronorum & qualitatibus Clericorum inquisitionem mandat, & prout ipsi retulerint, institutionem decernit. Deindè coràm superiore ad adipiscendum beneficium agitur, cùm Ordinarius Clericum qui eidem præsentationem exhibuit, instituere recusavit, [d] factâ fide per Clericum quòd Episcopus recusavit, & quòd viginti octo dies lapsi sunt à tempore quo præsentationem exhibuit, quo in casu qui Iurisdictioni Archiepiscopali præest Rescriptum quod Duplex Querela dicitur

[a] Extr. de Iure Patronat. c. 22. & c. 27. Constit. Prov. tit. eod. c. 1. & ibi Lynw.
[b] Constit. Prov. eod. c. per nostram. & ibi Lynw. in v. non tenere in fine.
[c] Cust. Norm. c. 112.
[d] Constit. nov. c. 95.

tur Ordinario emittit, quo monet ut intra certum tempus Clericum præſentatum admittat, vel compareat & oſtendat rationabilem cauſam quare ob ejus negligentiam jus inſtituendi [e] devolvi non debeat; & ſi in die præſtituto nec Epiſcopus, nec ejus Procurator compareat, Iudex ſuperior jus inſtituendi ad ſe devolutum pronuntiat, & Clericum inſtituendum decernit. Quod ſi Epiſcopus comparuerit, & cauſas ſufficientes, utpotè quod Eccleſia fuerit plena, vel præſentatus criminoſus aut inhabilis allegaverit & probaverit, ferenda eſt ſententia pro Epiſcopo, vel ſi defecerit in probatione contra eundem. Deniq; ad recuperandum beneficium agitur, cùm quis ſe de [e] beneficii poſſeſſione violentèr ejectum apud judicem conqueritur, de quo cum Iudici conſtiterit ſpoliatum antè omnia [f] reſtituendum decernet, & ut ejectus vel ſpoliatus naturalem poſſeſſionem recipiat, & [h] fructus non tantùm à violento poſſeſſore perceptos, ſed etiam qui à veteri poſſeſſore veriſimilitèr percipi potuiſſent, recuperet.

e Extr. de ſuppleud. negligentia Prælat.

f Ext. de reſtitut. ſpoliatorum.

g Cauſ. 2. q. 2. c. omnes & ſeq. cauſ. 3. q. 1. c. Reintegrand.

h Extr. de Reſtitutione ſpol. c. Gravis.

SECT. 3.

De Iudicio *Acquiſitionis fructuum Beneficii.*

Iudicium Acquiſitionis fructuum Beneficii eſt, cùm de fructibus ad Beneficium pertinentibus diſceptatur; utpotè de fructibus tempore vacationis perceptis, vel poſt incumbentiam, de Synodalibus, Procurationibus, Decimis, Oblationibus, Mortuariis & ſimilibus, pro quorum detentione aliquando Exemptio, aliquando Præſcriptio prætenditur.

DE fructibus & commodis Beneficiorum plures ſunt Litium cauſæ, & primo ſi fructus vacationis tempore percepti detenti fuerint condici poſſunt [a] ex Lege quâ

a 28. H. 8. c. 11.

quâ proximo incumbenti conceduntur. Deindè si Rectores aut Vicarii Synodalia vel Procurationes persolvere differant, conveniri possunt in causâ substractionis [b] Synodalium vel Procurationum. Sed & si Parochiani [c] decimas, Oblationes, Obventiones, Mortuaria aut alia iura debita detinuerint, agi potest contra eosdem in causis substractionum Decimarum, Oblationum aut reliquorum. Quæ causa etiam statutis confirmantur; quibus ordinatum, quod si quis [d] fruges prædiales priusquam decimas exposuerit ipse asportaverit, in triplici valore & in expensis à Iudice Ecclesiastico condemnetur. Item quòd si quis decimas [e] personales persolvere renuat, quòd licebit Ordinario eum convenire, & de Lucro quod acquisivit examinare quocunq; modo præterquam delatione iuramenti corporalis Et [f] si quis in causâ decimarum à sententiâ definitivâ appellaverit, Iudex rationabiles expensas alteri parti adiudicabit, & ad solvendum compellet, receptâ ab alterâ parte cautione, quòd easdem restituet casu quo in causa appellationis contra ipsum pronuntiatum fuerit. Deniq; statutum est etiam [g] quòd tàm in causis Decimarum quàm Oblationum & similium Ordinarius delinquentes non solum solvere & præstare censuris Ecclesiasticis compellat, sed etiam si contumaces perstiterint, auxilium Iustitiariorum implorare possit, qui eos in carcerem conjiciant quòsq; sufficienter fidejusserint de præstando debitam obedientiam mandatis Iudicis Ecclesiastici.

b Extr. de off ordin. c. conquerente, & de censibus. c. Cum Apostolus.
c Extr. de decimis, Const. Prov. eod. tit Rebuff. tract. de decimis. q. 9. plenè.
d 2. Ed. 6. c. 13.
e Cap. eod.
f 32. H. 8. c. 7.
g 27. H. 8. c. 20.

SECT. 4.

De Iudicio circa Successionem in bonis defunctorum.

Iudicium circa successionem in bonis defunctorum est, cùm agitur de Testamento sive ultimâ voluntate defuncti.

Vel

Vel de Legatis in teſtamento relictis, vel cùm de bonorum Adminiſtratione controvertitur.

SIcut Ius Eccleſiaſticum de Teſtamentis & bonis defunctorum diſponit, ita [a] Iudicia Eccleſiaſtica de iiſdem decernunt. Et primò de teſtamento [b] probando agitur, cùm is qui Executor inſtitutus eſt, ultrò vocatis Liberis & conſanguineis proximis in ſpecie, aliiſq; quibuſcunq; in genere, aut ad promotionem liberorum, vel conſanguineorum quorum intereſt, ſuper veritate teſtamenti teſtes aliaſq; probationes Legitimas in Curiâ producit, ſecundum quas Teſtamentum conditum vel non conditum pronuntiatur. Deinde ſi quis [c] impedimento fuerit quo minus inventaria conficiantur, vel teſtamenta defunctorum adimpleantur, is cujus intereſt poteſt implorare officium Iudicis ut probatis præmiſſis pronuntiet delinquentem incidiſſe in ſententiam Excommunicationis à quâ non abſolvetur priuſquam ſatisfecerit.

[e] Tertio in [d] cauſa Legati agitur, cum is, cui aliquid in teſtamento defuncti relictum eſt, contra Executorem qui bonis ſe immiſcuit, litem movet ut Legatum conſequatur.

Quartò de [e] Adminiſtratione bonorum defuncti controvertitur, cùm uxor vel aliquis ex liberis ſeu conſanguineis de adminiſtratione obtinendâ contendunt, & cauſas pro ſe exponunt ſecundùm quas Iudex decernit.

Quintò in causâ [f] temerariæ Adminiſtrationis aliquis conveniri poteſt, cùm ſinè Iudicis autoritate in bonis defuncti ſe intromittit, ex quo pronuntiandus eſt in ſententiam Excommunicationis incidiſſe.

Sextò [g] ad exhibendum inventarium & ad reddendum Computum agitur, cùm Executor vel adminiſtrator bonorum defuncti, ad inſtantiam Legatarii, conſanguinei, creditoris, vel alterius, cujus intereſt, ad inventarium & computum vigore juramenti interponendum; & ſi requiſitum fuerit, per teſtes & inſtrumenta juſtificandum con-

venitur

a 21. H. 8. c. 5. in fine.
b C. eod. Glanv. l. 7. c. 7. Bract. in lib. 2. c. 26.
c Conſtit. Prov. de donat. c. unic. Lynw. ad Conſtitut. ſtatutum de Teſtam. verb. Eccleſiaſt. Libert. Conſtit. Prov. de immunitate Eccleſiæ c. Accidit. §. quidam etiam.
d Extr. de teſtam. c. ſi Hæredes.
e 21. H. 8. c. 5.
f Conſtit. Prov. de Teſtamentis. c. ſtatutum, v. non permittunt. & v. Inhibemus & c. eod. v. effectum. & ibi Lynw.
g 28. H. 8. c. 5. in fine. Othob. Conſtit. de exccut. teſtament. Lynw. ad c. ſtatutum de teſtamentis.

venitur; ut, si quid supersit, debita & Legata solvantur, aut portiones Liberis & consanguineis allocentur.

SECT. 5.

De Iudicio circa Contractus Ecclesiasticos, & de Iudicio Contractus circa Beneficium.

Iudicium circà Contractus Ecclesiasticos est, quod de Contractu aliquo Ecclesiastico instituitur. Estque vel de Contractu circà Beneficium, vel de Contractu circà fructus Beneficii, vel de Contractu Conjugali. Iudicium Contractus circà Beneficium est, cùm de Compositione agitur, vel de Permutatione contenditur.

VT pauciores sunt Contractus Ecclesiastici, ita de Contractibus pauciora sunt Iudicia. Quædam tamen habentur, & primùm de Contractu circà Beneficium agitur, cùm de [a] Compositione litigatur. Vtpotè cùm Rector à Vicario vel Vicarius à Rectore id quod ex compositione debetur, detrahere molitur. Deindè occasione [b] Permutationis Beneficiorum lis movetur, cùm is qui alteri Beneficium cessit ut in jus ejusdem in alio Beneficio succederet, deceptus agit ne Beneficium suum alteri conferatur, vel ut ad Proprium Beneficium redeat & restituatur.

a Rebuff. de decimis q. 13. nu. 16. & seq.
b Clement. de Rerum permutat. c. unic. Rebuff. in praxi Benef. de permutat. nu. 13. & seq.

SECT. 6.

De Iudicio Contractus circa fructus Beneficii.

Iudicium Contractus circà fructus Beneficii est, cùm de

Seque-

Sequestratione vel Locatione Beneficii agitur.

PRæter Iudicia de Contractibus quæ ipsa Beneficia concernunt, alia sunt de Contractibus circà fructus Beneficiorum, ut cùm occasione [a] Sequestrationis lis intentatur, ut is qui virtute Sequestrationis Beneficii fructus percepit, eorundem rationem reddere compellatur. Item cùm is qui fructus Beneficii [b] conduxit, agit ut iisdem frui liceat; vel is qui locavit, ut mercedem habeat.

[a] Extr. de sequestrat. Constit. Prov. eod. [b] Extr. de locato & conducto c. vestra & seq. Athon. ad Constit. ne Ecclesia ultra quinquennium v. ultra. §. Iuxta illud quæritur.

SECT. 7.

De Iudicio circa Contractum Conjugalem.

Iudicium circà Contractum Conjugalem est, in quo ad Matrimonium Constituendum, Restituendum, vel ad Dirimendum agitur.

IN causis Matrimonialibus ex quo in hujusmodi Contractibus salus animæ periclitatur, præcipuè Ecclesiæ Iudicium adhibetur. Et primò ad Matrimoniũ constituendum agitur, cùm [a] post Sponsalia vel contractum Matrimonialem aliquis litem instituit, ut secundùm Contractum in facie Ecclesiæ nuptiæ celebrentur.

Item aliquandò agitur ad [b] publicandum Matrimonium, cùm partes quæ clàm Matrimonium contraxerunt, vocatis iis quorum interresse potuit in Iudicio probant, ut pro Matrimoniò Contracto sententiam consequantur.

Tertiò si Matrimonium fuerit in facie Ecclesiæ solennizatum, & mulier recesserit à viro, vel vir ab uxore diverterit, agitur in causâ [c] Restitutionis obsequiorum Conjugalium.

Quartò contrà Matrimonium Iudicium instituitur in causâ [d] Iactitationis Matrimonii, cum quis affirmaverit se cum

[a] Extr. de sponsal. c. ex Literis, c. cum Locum, & c. cum Apostolica. [b] Lanc. Instit. de clandest. desponsat. in fine. [c] Extr. de Restitut. spoliat. c. ex transmissa. [d] L. Diffamari. C. de ingenuis manumissis.

cum aliquâ Matrimonium contraxisse, ut in contrarium pronuntietur, & ei qui jactitavit silentium imponatur; quod si justificare voluerit, causa Iactitationis in causam Matrimonialem transit.

Quintò contrà Matrimonium etiam intentatur causa Nullitatis Matrimonii, ut Matrimonium inter aliquos de facto contractum ob [c] defectum consensus ratione minoris ætatis, [f] erroris, [g] metus, vel ob [h] præ-contractum cum alio, vel ob [i] impotentiam, vel impedimentum [k] consanguinitatis vel affinitatis nullum declaretur.

Sextò contrà Matrimonium agitur in causâ [l] Divortii propter adulterium ad separationem à mensâ & thoro, in quâ ex solâ [m] confessione partium absque aliis Probationibus sententia non est ferenda, nec priusquàm pars quæ sententiam petit, [n] cautionem sufficientem interponat, quòd ad aliud Matrimonium, dùm vivit pars contrà quam Divortium obtinuit, non convolabit.

c Extr. de desponsat. impub.
f Caus. 29. q. 1.
g Extr. de sponsal. c. cum locum.
h Extr. eod. c. si inter.
i Extr. de frigidis.
k Caus. 35. q. 5. per totum. extr. de consang. & affi.
l Extr. de Divortiis.
m Constit. nov. c. 105.
n Constit. nov. 107.

SECT. 8.

De Iudicio circa Delictum Ecclesiasticum, & de Iudicio Delicti contra Pietatem.

Iudicium Delicti Ecclesiastici est in quo quæritur de Delicto contrà Ius Ecclesiasticum commisso, utpotè de Delicto contrà Pietatem, contrà Charitatem, aut contrà officium Ecclesiasticum.

Iudicium Delicti contrà Pietatem est, in quo quæritur de Delicto quo Religio violatur, veluti de Apostasiâ, Hæresi, Schismate & reliquis.

CRimen vel Delictum Ecclesiasticum in Iudicium deducitur, vel Promotione partis, vel Inquisitione Iudicis. Promotio partis est cùm quis aliquem de crimine

mine [a] accuſat. [b] Inquiſitio Iudicis eſt, cùm ex officio mero Iudex delinquentes proſequitur. Eſtque vel [c] ſpecialis, cùm ex probabili famâ vel hominum fide dignorum relatione judex de certo aliquo Delicto inquirit; vel [d] generalis, cùm in Viſitatione Oeconomis aliiſque perſonis adjunctis, qui teſtes Synodales dicuntur, jurejurando aſtrictis quælibet crimina [f] denuntiandi officium imponit, & poſteà detectiones in ſcriptis exigit. Cum verò fama duntaxàt criminis probata eſt, vel quis à perſonis juratis denuntiatus, [g] Purgatio Canonica parti reæ indicitur, id eſt terminus ei ſtatuitur, in quo cum ipſe iuramentum de [h] innocentia præſtet, tùm alii, arbitrio Iudicis nominandi, de credulitate, quòd verum juramentum preſtitit. Quòd ſi quis in Purgatione defecit, vel verè convictus ſit, pro qualitate delicti pœnâ debitâ plectendus eſt.

Et primò quòd ad Delicta attinet quæ contrà Religionem admittuntur. Qui de Apoſtaſi [k] vel Hæreſi convictus fuerit ſecundùm Canones Excommunicationis ſententiâ innodandus eſt. Et ſæculari poteſtati tradendus, & ſi Clericus ſit, ſacris etiam Ordinibus exuendus eſt.

Secundùm [l] ſtatutum de crimine Hæreſeos convictus tenetur Hæreſin abjurare & pœnitentiam peragere proùt Ordinario viſum fuerit; quòd ſi abjurare renuat, aut poſt abjurationem in Hæreſin relapſus fuerit, ſæculari poteſtati tradetur, & brevi Regio de Hæretico comburendo impetrato publicè comburetur. Iiſdem pœnis Excommunicationis ſcilicet & Degradationis Schiſmatici afficiendi ſunt; quod etiam [m] ſtatuto congruit, quo ordinatum, quòd ſi quis Eccleſiaſticum Beneficium habens, aliquid affirmaverit aut defenderit contrarium Articulis Religionis, & citatus ab Ordinario in errore perſtiterit, aut poſt abnegationem erroris in eundem inciderit, à Beneficio penitùs amoveatur.

[n] Inconformitatis etiam Rei iiſdem pœnis ſunt obnoxii. Quinetiam [o] Blaſpemi, [p] Perjuri, [q] Sacrilegi Excommu-

a Extr. de accuſat & inquiſitionibus. Conſtit. Prov. eod. tit.
b Extr. eod. & Prov. eod.
c Extr. eod. c. qualiter.
d Extr. eod. c. ſicut.
f Extr. de accuſat & denūt. Prov. eod.
g Ext. de purgatione Canonica per totū. Conſtit. Prov. eod. tit.
h Extr. eod. c. Quoties Conſtit. Prov. eod. tit. c. Item licet & ibi Lynw.
i Extr. eod. c. cum Manconella. Lynw. ad c. Presbyteri de Iurejurando & ult. v. Nequiverint.
k Extr. de Apoſtatis & hæreticis.
l 25 H. 8. c. 14.
m 13. Eliz. c. 12.
n 1. Eliz. c. 2. Conſtit nov. c. 4. 6. 7. 8.
o Extr. de Maledicis. c. 2.
p Cauſ. 22. q. 1. c. ult. 5. Eliz. c. 9.

communicandi, Publicæ Pœnitentiæ subjiciendi & ad satisfactionem cogendi sunt; & si Clerici fuerint, à Beneficiis suspendendi. Et quod ad [r] Simoniam spectat, si quis Symoniacè ordinatus est, tam is qui ordinatus, quàm qui ad ordinem promovit, est deponendus. Si quis Symoniacè Beneficium adeptus, ejus institutio irrita censenda est, & tam is qui contulit quàm is qui recepit Excommunicationis sententiæ subjiciendi sunt. Quod etiam statuto consentaneum, quo inactitatum, quòd [s] si quis alicui Beneficium aliquod Ecclesiasticum pro pecuniâ vel mercede contulerit, admissio ejusdem irrita sit & inanis. Et quòd licebit Regiæ Majestati ad hujusmodi Beneficium Clericum præsentare; & quòd is, qui Symoniacè promotus est, ad hoc Beneficium retinendum inhabilis judicetur. Qui verò pro mercede aliquem ad Beneficium admittit, ad duplum valoris annui ejusdem Beneficii teneatur. Et qui ob pretium resignaverit, ad duplum ejus quod accepit condemnetur, præter pœnas Ecclesiastico jure præstitutas, quæ etiam contrà eundem executioni demandari possunt. Pœna [t] Prophanationis, cum loca sacra indebitè tractentur vel destruantur, secundùm Canones est vel Excommunicatio vel pœna Anathematis.

Statutis etiam cavetur, quòd [u] qui divina officia peragenti vel concionem habenti molestus fuerit, præter pœnas Iure Ecclesiastico infligendas, per tres menses incarceretur. Item [x] quòd si quis in Ecclesia vel Cœmiterio rixatus fuerit aut objurgaverit, si Laicus fuerit, ab ingressu Ecclesiæ suspendatur; si Clericus, ab executione officii quamdiù Ordinario visum fuerit.

Si verò alium percusserit, vel in alium violentas manus injecerit, ipso facto Excommunicatus habeatur. Consimili [y] Ordinatione prospectū, quòd liceat omnibus qui Iurisdictionem Ecclesiasticam obtinent inquirere de singulis qui dies jejuniis & divinis officiis destinatos non observaverint, & punire delinquentes censuris Ecclesiasticis, & pœnitentiâ iisdem injungere prout visum fuerit:

Item

q Caus. 17. q. 4. c. 5. ext. de foro comp. c. cõqueſt. Lynw. ad c. 1. de immunit. Eccleſiæ. v. omnibus pœnis. & ad c. 2. eod. v. excommunicati.

r Extr. de Simonia, Conſtit Prov. eod. tit. c. Nulli.

ſ 31. Elis. 16.

t Extr. de immunitat. Eccleſ. c. cum Eccleſiæ.

u 1. Mariæ ſeſſ. 2. c. 3, 1. Elis. c. 2.

x 5. & 6. Ed. 6. c. 4.

y 5. & 6. Ed. 6. c. 3.

Item si Ecclesiæ dilapidentur & in ruinam dilabantur [z] ad reparationem earundem qui ad id tenentur, arbitrio Iudicis compellendi sunt.

[a] Violatores etiam libertatum & privilegiorum Ecclesiasticorum sententiam Excommunicationis ipso facto incurrunt, & universitates Interdicto Ecclesiastico subiiciuntur.

[b] Ob Defectus etiam in divinis officiis frequentandis præter pœnam duodecem denariorum pro absentiâ qualibet vice irrogandam, præcipitur etiam iis qui Ecclesiasticæ Iuridictioni præsunt eos qui negligunt ad Ecclesias Parochiales aut capellas usitatas quolibet die Dominico & festo accedere, & ibi per totum tempus divinorum & concionis habendæ cum reverentiâ permanere, per censuras Ecclesiasticas corrigere & coërcere. Denique contra eos qui decimas aut alia propter divina officia debita detinuerint, tanquam contra delinquentes criminaliter procedi potest, & coërcitio Ecclesiastica exerceri.

z Constit. Prov. de offic. Archidiac. c. ult. & ibi Lynw. v. sub pœna. Constit. de Ecclesiis ædific. c. statuimus. & ibi Lynw. v. Inquisitio.
a Caus. 17. q. 3. c. miror. & seq. extr. de Immunit. Ecclesiæ & Prov. c. eod.
b 1. Elis. c. 2. 5. & 6. Ed. 6. c. 1.

SECT. 9.

De Iudicio Delicti contra Charitatem.

Iudicium Delicti contra Charitatem est quod instituitur ad puniendum Incontinentiam, Ebrietatem, Vsurariam pravitatem, Calumniam & similia.

PRæter Iudicia quæ instituta sunt de Delictis contra Pietatem, alia sunt in quibus agitur ad coërcendum Delicta contra Charitatem. Et primò [a] Incontinentiæ crimini Publica pœnitentia præstituta est, quæ pro qualitate Delicti fornicationis scilicet, adulterii, vel incestus, leviùs vel graviùs imponitur. Excommunicatione etiam vel aliis pœnis aliquando coërcetur. [b] Lenocinium quoque eâdem pœnâ, quâ crimen cui assistit est plectendum. Ebrietatis rei arbitrio Iudicis puniendi sunt; & [c] Vsurariæ

a Abbas. & DD. ad c. ut cleric. extr. de vita & honest. Cler.
b l. Auxilium d. de minor. Lynw. ad c. Item licet de purgat. Canon. v. simili crimine.
c Extr. de usuris 37. H. 8. c. 9

rariæ pravitatis convicti Excommunicationi subjiciendi sunt quousque satisfecerint, vel de restitutione faciendâ cautionem interposuerint.

Calumniæ vel diffamationis crimen quandoque Excommunicationis sententiâ, quandoq; reclamatione verborum vindicatur. Atque hæc omnia cùm à [c] Clericis committuntur graviùs puniuntur: qui etiam si in iis delinquunt quæ ad decorum Ordinis spectant, pro modo delicti, suspensione, vel deprivatione puniendi sunt.

[f] Irregulares verò nec ad Ordines promoveri, nec in susceptis Ordinibus administrare permittendi sunt; & [g] Incorrigibiles post depositionem & Excommunicationem, sæculari potestati tradendi sunt.

d Constit. Provin. de sententia excommunicationis c. 1. v. malitiosè crimen. *e* Extr. de vita & honest clericorum. Constit. Prov. eod. *f* Lynw. ad c. Inpr. de tempor. ordinand. v. Irregulares. *g* Idem ad c. statuimus *de* pœnis, v. adjudices.

SECT. 10.

De Iudicio Delicti contra Officium Ecclesiasticum.

Iudicium Delicti contrà Officium Ecclesiasticum est in quo quæritur de Delictis contrà Officium commissis.

DElictis etiam quæ contrà Officium sunt admissa in Iudicio Ecclesiastico pœnæ irrogantur. Et primò si Prælati in iis peccent quæ ad sollicitudinem pastoralem pertinent, ut si [a] alienos subditos ad ordines promoveant; Si extrà [b] statuta tempora aliquem ad Sacros Ordines admittant, à potestate conferendi ordines à superiore suspendendi sunt. Item si aliquem ordinaverint qui [c] titulum Canonicum non habet, cogendi sunt eidem de omnibus necessariis providere, donec ad Beneficium aliquod Ecclesiasticum promotus fuerit, vel ab Archiepiscopo assistente alio Episcopo à potestate ordinandi per unum annum suspendendi sunt, & sic in similibus.

a De tempor. ordinand. in 6. c. 2. *b* Extr. eod. c. cum quidam. *c* Extr. de Præbendis c. cum Episcopus. Constit. nov. c. 33.

Deindè quòd ad Delicta quæ circa animarum curam commit-

committuntur attinet, si quis, ubi divina peragere tenetur, omninò renuit, in causâ subtractionis divinorum conveniri potest. Item pro [k] omissione divinorum & indebitâ executione eorundem pœnis in Canonibus præstitutis coërcendus est. Et ad tuendum ordinem & ritus præscriptos, statuto cautum, [l] quòd si quis Rector aut Vicarius cujus officio incumbit preces publicas legere, aut Sacramenta ministrare, peragere recusaverit, prout in in Liturgiâ Præscriptum est, præter pœnas incarcerationis aliasq; statuto sancitas, omnes Archiepiscopi, Episcopi, aliiq; Iurisdictionem Ecclesiasticam exercentes plenam potestatem habeant per censuras Ecclesiasticas delinquentes corrigere, punire, & reformare. Præterea Constitutionibus Provincialibus ordinatum est, quod si Rector aut Vicarius officium in [m] Cathechizando neglexerit, post monitionem, primò suspensionis, deinde Excommunicationis sententiam subeat; si [n] absq; bannis vel Licentiâ inter aliquos matrimonium solennizaverit, per triennium ab officio ipso facto, si [o] infantes baptizare, vel mortuos sepelire, per tres menses suspendatur. Si in [p] privatis ædibus extra casum necessitatis sacram Communionem exhibuerit, pro primâ vice, suspensionis, pro secundâ excommunicationis sententiâ, innodetur. Alia Ordinarii arbitrio relinquuntur. Præterea si quis non resideat, ei terminus à Iudice statuendus est infra quem ad beneficium revertatur, quo elapso, si omninò sine causâ rationabili sui copiam non faciat, beneficio privari potest.

Statutis etiam ordinatum, ut qui [e] à beneficio ultrà spatium unius mensis continuum vel duorum mensium diversis temporibus in eodem anno abfuerit, nec in alio beneficio resederit, pro quolibet defectu decem libris mulctetur. Item quòd si quis [f] beneficium curatum locaverit, & ultra octoginta dies in uno anno se absentaverit, locatio sit irrita, & incumbens fructus unius anni amittat, inter pauperes per Ordinarium distribuendos.

Item si quis partem Ecclesiæ quæ ab ipso reficienda

k Extr. de Celebrat. missarum c. Dolentis.
l Elis. c. 2.
m Constit. nov. c. 59.
n Constit. nov. 62. & 63.
o Constit. nov. 68. 69.
p Constit. 72.
d Extr. de clericis non residentc. Relatum. & c. ex parte.
e 21. H. 8. c. 13.
f 13. Elis. c. 20.

est, vel domicilia ad beneficium pertinentia in ruinam vergere patiatur, Iudicium [g] dilapidationis instituitur, quo post monitionem per sequestrationem fructuum ad reparationem compellendus est. Vel si defunctus fuerit, contra Executorem, vel alium qui successerit in bonis, ad eundem finem lis intentatur. De quâ causâ etiam [h] statuto ordinatum, ut actus in fraudem eorum, qui in beneficiis succedunt, gesti, irriti sint & inanes; & quod [i] pecuniæ recuperatæ in reparationem ædificiorum impendantur.

[g] Constit. Prov. c. de offic. Archid. c. ult.

[h] 13. Elis. c. 10.

[i] 14. Elis. c. 11.

FINIS.

SVperſunt quæ ſpectant ad Communionem Militarem & Nauticam, nec non eam quæ inter diverſos Principes & Reſpub. intercedit.

Errata.

PAg. 24. ll. 16. *exiſtimet*, leg. *exiſtiment*. p. 95. l. 25. *abuſorium*, leg. *eluſorium*. In Deſcript. Iur. Temp. p. 29. l. 1. *Vt* leg. *Et*. In deſcript. Iur. Eccleſ. p. 10. l. 14. *Decani vel capit.* leg. *Decani & capit.* p. 25. in Marg. *dominio ſacri*. leg. *dominico ſacro*. ibid. in Marg. *Ceras*. leg. *Garſias*. p. 38. in Marg. c. *extrans*. leg. c. *tranſmiſſ.*